

DE
LAGIDARUM

GUM
ROMANIS

SOCIETATE

TOLOSÆ. — EX TYPIS A. CHAUVIN ET FILS, VIA DICTA DES SALENQUES, 28

HF uf 80a (136 $\frac{2}{n}$)

DE

LAGIDARUM

CUM

ROMANIS

SOCIETATE



THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

Paul GUIRAUD


SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

LUTETIÆ PARISIORUM

APUD L. HACHETTE BIBLIOPOLAM ET EDITOREM

VIA DICTA BOULEVARD SAINT GERMAIN, 79

MDCCCLXXIX



LA GIDARUM

ROMANIS

DE JUDICIS

THESE

PAR GUILLOT

LETTRE PASTORALE
M. A. BACCHETTI INNOCENT ET BOUTON

ERUDITISSIMO VIRO

E. DESJARDINS

INSTITUTI GALLICI SOCIO

1861

1861

1861

1861

1861

1861

1861

1861

1861

DE
LAGIDARUM
CUM
ROMANIS
SOCIETATE

CAPUT PRIMUM.

CUR LAGIDÆ SOCIETATEM CUM ROMANIS INIERINT AC
SERVAVERINT.

Primam in annalibus romanis Lagidarum mentionem invenimus a. 273 ante Chr.. Narrat Eutropius « C. Fabio Licino et C. Claudio Canina coss. (1) legatos Alexandrinos, à Ptolemæo (Philadelpho) missos, Romam venisse, et à Romanis amicitiam quam petierant obtinuisse (2). » Causa legationis videtur fuisse clades à Pyrrho nuper accepta, non quod ullæ Philadelpho cum eo rege simultates forent in quem pater plurima contulerat beneficia (3), sed quia nominis romani fama

(1) *C. I. L.*, I, 518.

(2) II, 15. Cf. *Liv., Epit.*, 14, et *Euseb., Chron.*

(3) *S. Hieron. explanatio in Daniele prophetam* (Op. omnia, Parisiis, 1704. III, p. 1122).

cœperat jam per Orientem vulgari, et sapienter Ptolemæus sese acturum ducebat, si florentem ac validam bello civitatem foveret. Senatus autem nihil habebat cur fœdus cum Philadelpho recusaret facere. Cujus pacationis quæ fuerint conditiones ignoratur; probabile est non amicitiam solum populi romani, verum etiam jus commercii Ægyptiis concessum esse.

Diù mansit societas a. 273 instituta. Quam rem si explanare voluerimus, necesse est exploremus quomodò ergà Lagidas se gesserint finitimi reges, præsertim Syriæ ac Macedoniæ.

Syriam Seleucidæ tenebant, quorum ea semper cupido fuit fines suos propagare et magnitudine imperii Achemenidas et Alexandrum æquare; unde fit ut Ægypto inhiarent quam sæpe tentaverunt armis subigere. Altera quoque erat causa quæ utrique regno certamina injecit, nempe earum regionum possessio quæ Cœlesyria ac Judæa appellabantur. Hanc Soter occupaverat provinciam a. 320 (1), priusquam rex fieret, successoresque multa hortabantur ut conservare studerent quæ ille acquisiverat. Primum silvæ Libani montis materiam suppeditabant ædificandis classibus necessariam; deinde totum hoc littus ubi floruerant olim Phœnices tutissimis portubus ac peritissimis nautis abundabat. Adde quòd Ægyptus res plurimas cum Judæis ac Syriis commutabat, vinum, frumentum, pisces, textilia, supellectilem (2). Notandum est denique plerasque merces quæ ab ultimâ Asiâ in Europam diffundebantur consuevisse

(1) Diod. Sicul., 18, 43; Champollion-Figeac, *Annales des Lagides* (Paris, 1819), I, 294-295.

(2) Lumbroso, *Recherches sur l'économie politique de l'Eg. sous les Lagides* (Turin, 1870), p. 154-155.

tum navibus Arabum vehi in eas urbes quas Persicus sinus aut Erythræum mare alluit, ac diversis itineribus Petram commeare, ex quo loco altera via in Ægyptum et Alexandriam, altera in Palestinæ ac Phœniciæ portus ferebat (1). Lagidarum igitur maximè intererat suam hanc esse regionem; sic enim quidquid ab Europâ in Asiam aut ab Asiâ in Europam mittebatur per eorum manus transibat. Quibus adeo erat cordi provinciam illam tenere, ut Philadelphus ibi quinque urbes condiderit, et Epiphanes pontes in omnibus ferè fluviis jusserit strui (2). Seleucidæ autem eadem impellebant ad invadendam Cœlesyriam quæ Lagidas ad tuendam; unde multa exorta sunt bella.

Macedoniæ reges non apparet Alexandri imperium restituere voluisse. Hoc unum constat illos eò semper tetendisse ut in Græciâ et in Ægeæ mari dominarentur. Nulla fermè erat civitas in quâ non reperiretur factio quædam Macedonica. Nemini tum indignum videbatur in suâ patriâ per externas vires rerum potiri; sed libenter multi à Macedonibus petere solebant auxilia; quam quidem occasionem Græciæ negotiis interveniendi accuratè isti reges arripiebant (3). Testatur Polybius urbes Achaïcas Demetrii Poliorcetis præsidiis occupatas fuisse et in servitutem redactas (4). Eâdem ratione usus est Antigonus Gonatas, de quo Clinias dicebat eum obstitisse quominus universæ Græciæ Lacedæmonii im-

(1) Lumbroso, etc., 139-140.

(2) Letronne, *Recueil des inscr. gr. et lat. d'Eg.* (Paris, 1842-1848), I, 183. Lumbroso, 155.

(3) Fustel de Coulanges, *Polybe, ou la Grèce conquise par les Romains* (Amiens, 1858).

(4) II, 41, 10; IX, 29, 6.

perarent (1). Post hunc Demetrius bellum adversus Ætolos gessit, eumque Polybius vocat *μισθοδότην τῶν ἐν τῇ Πελοποννήσῳ μονάρχων* (2). Tutor Philippi, Antigonus Doson, Acrocorinthum obtinuit, et in Achæorum conventu dux contrà Cleomenem nominatus est (3). Philippus ipse sæpe Græciam cum exercitu invasit (4); fuit denique tempus quum Thessaliam possideret ac plurima in Thraciâ loca, Eubæam insulam ex quâ Locridæ ac Phocidæ imminebat, Sestum, Abydum, Thasum, aliquot Cycladas, quæ omnia eum regnare in Ægeo mari sinebant (5). Oportebat Ptolemæos tantæ potentiae acriter resistere; eorum enim vehementer referebat Græciam aut sibi subditam esse aut nemini. Primum, seu fidem Ægyptiorum suspectam habebant, seu ingenium, consueverant exercitus conflare militibus Græcis mercede conductis (6), quos profectò difficilior fuisset contrahere, si quandò ea regio in potestatem Macedonum tota cecisset. Præterea commercii jure frequentissimè Ægyptii miscbantur cum Atheniensibus Corinthiisque negotiatoribus atque iis qui insulas urbesque Ægei maris ac Ponti Euxini incolebant (7). Quas omnes terras necesse erat Macedonum dominatione liberas esse, ne forte ab orientalibus Mediterraneæ portubus naves Alexandrinæ excluderentur. Ea causa fuit cur primi Lagidarum non

(1) IX, 29, 12.

(2) II, 44.

(3) II, 45, 51, 54; IV, 9.

(4) IV, 15, 22, 24, 64, 65; V, 6 et seq.

(5) IV, 57, 66; XV, 24; XVII, 2, 3, 11; XVIII, 37; XXIII, 11.

(6) Lumbroso, 226. Robiou, *Mémoire sur l'économie politique, l'administration et la législation de l'Eg. au temps des Lagides* (Paris, 1876), p. 214-215.

(7) Lumbroso, 150-154.

solum Cyprum et nonnullas Lyciæ, Cariæ Cycladarumque civitates (1) imperio suo subegerint, sed etiam Græcorum sese interposuerint discordiis. Quod ad ista bella attinet, Ptolemæorum idem semper consilium fuit, nempe ut eas partes foverent quibus Macedonum reges adversarentur. Quum Antigonus Gonatas circà a. 269 Athenas oppugnaret, obsessis Philadelphus opem tulit (2). Ejusdem Antigoni hostis, Aratus, postquam tyrannum Nicoclem, qui patriam Sycionem tenebat, improvisò oppressisset, celeriter ad Ptolemæum venit, à quo facile impetravit ut grandi pecunià adjuvaretur (3). Non alium sese præbuit Evergetes. Erant eo tempore in Græciâ duæ factiones, altera Achæorum eademque optimatum, altera Ætolorum eademque popularium (4). Leviter Ptolemæus curabat utrum per plures an per paucos urbes administrarentur; hoc unum sibi proponebat ut victoriam iis pararet quos Macedonum rex vincere conabatur. Itaque fœdus iniit cum Achæis qui tum Antigono inimici erant (5); postquam autem Aratus pacem fecisset cum Antigono, repente Evergetes ab Achæis discessit, et ad Cleomenem, Spartæ tyrannum, se convertit (6). Qui apud Sellasiam à Macedonibus profligatus (a. 222) Alexandriam confugit; ibi omnem operam adhibuit ut in regnum restitueretur; quum autem a. 220 Antigonus mortuus esset, Ptolemæi Philopatoris ministri recusare, ne forte Cleomenes, ne-

(1) Plut., *Demetrius*, 35; *Marmor Adulitanum*, ap. *C. I. Gr.*, 5127.

(2) Pausan., I, 7, 3.

(3) Cic., *De off.*, II, 23, 82; Plut., *Aratus*, 13.

(4) Fustel de Coulanges, *Polybe ou la Grèce conquise par les Romains*, 30-37.

(5) Paus., II, 8, 4; Polyb., II, 47, 2; XXIX, 9, 14; Plut., *Aratus*, 24.

(6) Pol., II, 51, 2.

mine post interitum Antigoni obsistente, Græciam universam subigeret atque ita Ægyptiis quoque ipsis metuentus esset. In carcerem etiam injectus evasit ac tumultum in urbe concitare tentavit; sed oppressa seditione interfectus est (1). Nihil proderit historiam hanc longius persequi; abundè ostendunt quæ diximus semper Macedonia Lagidas infensos fuisse.

Facile inde perspicere licet cur Ptolemæi Romanorum fidem servaverint. Quum in propinquo duo regna haberent, Syriam scilicet ac Macedoniam, quæ necessitas quædam Ægypto imminere vel nocere cogebat, neque in Oriente satis potentes reperirent socios, opus fuit florentis alicujus populi amicitiam in Occidente captare ac tenere à quo subsidia, quum expediret, peterent. Crescente in dies magnitudine romanâ, senatus paulatim Græciæ atque Asiæ rebus animum advertit; Ægypti autem vires, tum civium discordiis, tum stultitiâ regum, celeriter imminutæ sunt, ideòque Lagidæ in hoc consilium magis magisque inclinavêre ut Romanorum benevolentia confiderent; quod profectò arctissimum inter eos vinculum fuit. Altera quoque erat fœderis illius firmandi causa. Jam Philadelpho regnante, Ægyptii in Italiâ negotiabantur (2). Plauti tempore nosci cœperant « Alexandrina belluata conchuliata tapetia (3); » ubi verò Carthago ac postea Macedonia in populi romani dominationem cessêre, moresque simul cum fortunâ immutati sunt, et ex victoriis luxuria urbem invasit, tum magnam pulcherrimarum Orientis mercium copiam Ægyptii Romam misêre, et quia genus illud commercii Ptole-

(1) Pol., V, 35; Plut., *Cleomenes*, 33-37.

(2) *C. I. Gr.*, 5795.

(3) *Pseudolus*, act. I, sc. II, v. 15.

mæis eorumque subjectis uberrimo lucro erat, dedere operam ut eam civitatem propitiam haberent unde tot divitiæ Alexandriam derivarentur.

Romani autem pari ferè studio Lagidarum amicitiam coluere. Præter Evergetem qui totam usque ad Euphratem Asiam cum exercitu peragravit ac subegit (1), Ptolemæi abstinuere suas augere possessiones. Quæ extrâ Ægyptum occupavere loca nihil aliud quàm stationes navium erant, aut præsidia ad tuendos mercatores destinata, aut regiones commercio opportunissimæ. Non erat ergò timendum ne horum ambitio romanæ ambitioni unquam officeret. Imò senatui frequenter utile fuit iis tanquàm adjutoribus uti. Solebat enim ille non armis solum, sed etiam dolis hostes aggredi, et si cui forte bellum inferret, eorum quærere societatem quorum iste similitates in se concitaverat. Victi itaque sunt reges ac populi alii aliorum inertia aut invidia, quum unusquisque Romanos præ longinquitate minus metueret quam finitimos aut magis modestos fore arbitraretur. Nemo intelligebat omnibus pariter Romam imminere, nemo omnium opes adversus commune illud periculum conjungendas esse; ideoque senatus, civitatum discordias ac regum contentiones exasperando, plurimorum imbecillitatem contrà unius potentiam adjuvando, et eorum vires qui reipublicæ resistere valuissent sociorum operâ sensim debilitando, orbem universum sui juris fecit. Apparet inde cur in Ægyptiaco fœdere perseveratum sit. Quoniam intererat Romanorum nullum toti Orienti regem imperitare, oportuit illos Ptolemæis favere qui soli obstabant Macedoniæ ac

(1) Hieron., *In Daniele*, 1124. Cf. *Marmor Adulitanum*.

Syriæ cupiditati : hi enim, dum pro salute suâ dimicarent, pro magnitudine populi romani laborabant. Senatui verò Lagidarum amicitia numquàm oneri fuit : nam quotiescumque Ægyptiis post aliquam cladem opitulari coactus est, satis habuit victori legatos mittere ac minas intentare.

Quo igitur pacto dissolvi potuisset fœdus illud quod utrique putabant cum maximo suo emolumento servari debere?

CAPUT II.

QUOMODÒ ROMANI LAGIDAS CONTRA MACEDONIAM SYRIAMQUE TUTATI SINT.

Bello primo punico, quum esset Carthagine summa pecuniæ inopia, missi sunt Alexandriam qui à Philadelpho duo millia talentorum mutuò peterent. « Huic vero erat, ait Appianus, cum Romanis ac Pœnis amicitia; quos postquàm reconciliare frustrà studuisset, oportet, inquit, amicos adjuvare contrà inimicos, non contrà amicos (1). » Neutram vero partem sequi voluit, non solum quia cum his et illis pax et commercium erat, sed etiam quia incertum adhuc videbatur utrius victoria futura esset.

Philopatore regnante (222-204 a. Chr.), Antiochus Coelesyriam invasit ac facillimè obtinuit Theodoti prodicione qui eam administrabat provinciam (2), deinde in Ægyptum paravit transire. Erat Philopator stultus homo et crudelis ac libidini deditus; exercitus quoque omnis « otio ac desidiâ corruptus marcebat (3). »

(1) App., *De reb. Sicul.*, 1.

(2) Hier., *In Dan.*, 1124. Pol., V, 58-61.

(3) Justinus, 30, 1.

Sed Sosibius, qui tutoris munere fungebatur (1), Nili aggeres rupit, fossarum aquas per campos derivavit, Antiochum falsis legationibus moratus est, et postquam magnas copias in Græciâ conduxisset, Philopatora in Syriacos immisit cum LXX millibus peditum et V millibus equitum (2). Victus apud Raphiam Antiochus a. 216 ac pænè captus est, rexque Ægypti Coelesyriam recuperavit (3). Tum demùm legati Româ venêre qui auxilia pollicerentur; Ptolemæus gratias senatui egit, auxilia autem non accepit, quibus, pugnâ jam transactâ, non egebat (4).

Paulò post, quum sæviret bellum punicum secundum, Alexandriam appulêre oratores romani qui frumentum emerent; omnis enim Italia ab exercitibus vastata erat usque ad portas urbis, neque aliunde frumentum quæri poterat ob multitudinem bellorum quæ orbem universum infestabant (5). Facultatem quam flagitabant opinor concessam fuisse. Cui autem anno assignari debeat hæc legatio difficile dixeris. Probabile est eo tempore peractam esse quo Hannibal Italiam tenebat, forsitan ante Syracusarum expugnationem (6); nam ubi è Siciliâ expulsi sunt Pœni, potuit insula frumentum Romanis suppeditare. Alteram quoque M. Atilii et M'. Acilii legationem Livius narrat a. 210 (7), quæ profecto diversa fuit ab eâ per quam frumentum quæsitum, et quia nullam aliam occasionem reperio, crediderim datum esse

(1) De tutore, vide Lumbroso, 200-201.

(2) Pol., V, 62 et sq.

(3) Pol., V, 86-87; Hier., 1124.

(4) Eutrop., 3, 1.

(5) Pol., IX, 45.

(6) « Captæ sunt Syracusæ a. 212 » (Liv., 25, 31).

(7) C. I. L., I, 524; Liv. 27, 4.

illis negotium Ptolemæo gratiam persolvendi quòd priora postulata non repudiasset.

Sub finem Philopatoris regni, oriri cœperunt seditio-
nes. Tum enim eò luxuriæ ac crudelitatis ventum erat
ut jam ferri non posset; noctes Ptolemæus in stupris,
dies in conviviis et aliquandò in cædibus consume-
bat; dominabantur in regiâ non depravati modò homines ac
libidinosi, velut Agathocles, sed meretrices quoque ac
seorta; tribunatus et præfecturas et ducatus mulieres
ordinabant, et in tantâ imperii perturbatione populus
tributorum pondere opprimebatur (1). Philopatoris
morte exacerbati sunt tumultus, quoniam novi regis,
quinque annos nati, pueritia rebellantibus spem victo-
riæ præbebat. Neque Græci solùm arma adversus tuto-
res cepère, verum etiam Ægyptii adversus ipsos Græcos;
fuère enim eâ tempestate in omnibus ferè provinciis re-
guli qui se in libertatem vindicavère et quorum plurima
nomina partim per Polybium nobis nota sunt, partim
per chartas demoticâ linguâ scriptas (2).

Quam occasionem statim arripuère Philippus Antio-
chusque Ægypti dividendæ, rati scilicet has seditiones
sibi auxilio fore. Hannibal ipse, teste Cicerone (3), con-
sultuit, quum ex Italiâ Carthaginem arcessitus est,
utrum domum rediret, an in Ægyptum profectus occu-
paret Alexandriam. De eâ re quid sit nescio; constat
autem de regibus Syriæ ac Macedoniæ. Post mortem Phi-
lopatoris (a. 204), consilium inière regni partiendi quod
ille filio puero Epiphani reliquerat, ita ut alter Cœlesy-

(1) Justin., 30, 1-2.

(2) Pol., XXI, 19; Révillout, *Les décrets de Canope et de Rosette* (Rev.
arch., nov. 1877), 333-337.

(3) Vel potius auctore incerto *Rhet. ad Her.*, III, 2, 2.

riam ac Phœniciam haberet, alter Ægei maris insulas et Cariam (1). Quo periculo territi, Alexandrini legatos Romam misère. Si Justino credas, repente senatus Philippo et Antiocho denuntiavit Ægypto abstinerent (2). Sed Livius, qui ordine hæc omnia exponit, senatum de eâ re apud eos questum esse nusquàm commemorat. Illud unum docet a. 201 ad Ptolemæum venisse C. Claudium Neronem, M. Æmilium Lepidum, P. Sempromium Tuditanum « ut nuntiarent victum Hannibalem Pœnosque (3), et gratias agerent regi quòd in rebus dubiis, cum finitimi etiam socii Romanos desererent, in fide mansisset, et peterent ut, si coacti injuriis bellum adversus Philippum suscepissent, pristinum animum ergà populum romanum conservarent (4). » Grata profectò Alexandrinis ea legatio fuit; nam ubi cœpit Philippus cum Romanis dimicare, Ægyptum negligere coactus est, omnemque operam in hæc nova certamina conferre; sic pro duobus hostibus unum tantum Epiphanes habuit propulsandum. Senatui autem ipsi bene evenit quòd Antiochi vires in Cœlesyriâ detinerentur; nam si iste Philippum adjuvare potuisset, alius forsitan fuisset Macedonici belli exitus.

Jam Phœniciam Antiochus et Judæam a. circiter 200 occupaverat. Obviam ivit Scopas, Ætolus, cum exercitu cujus ipse partem in patriâ, Ptolemæi jussu, modò conduxerat (5). Primò pugnavit fortiter et plurima oppida Syriacis eripuit; sed cum Antiochus juxtà fontes Jor-

(1) Pol., III, 2, 8; XV, 20. Cf. Just., 3, 2; Liv., 31, 14; Hier., 1124.

(2) Just., 30, 3.

(3) Sc. Zamæ.

(4) Liv., 31, 2.

(5) Liv., 31, 43.

danis fugavit, et in urbe Sidon obsēssum ad deditionem venire coegit (1); idem continuò ceteras Syriæ ac Judæ civitates cepit, non tamen in Ægyptum transiit, quia, ut opinor, Philippus, quem tum Romani premebant, illius auxilia rogavit; idcirco, principio anni 197, duos filios cum exercitu terrestri præmisit, atque ipse cum ingenti classe profectus est, simul omnem oram Ciliciæ Lyciæque et Cariæ tentaturus urbes, simul Philippum adfuturus (2). Epiphanes, quæ sola spes salutis supererat, subsidia postulaverat à senatu (3); sed quamdiù dubiæ res incolumi Philippo fuere, modestè agere et perplexè loqui Romanos oportuit. Mox autem, victis ad Cynoscephalas Macedonibus (4) et pace factâ (5), apertè senatus significavit quid vellet. A. 196, secundum Isthmia, quum ad T. Quinctium Flamininum venissent Antiochi legati, denuntiatum « ut excederet Asiæ urbibus quæ Philippi aut Ptolemæi regum fuissent » (6). Exasperatus hoc imperio Antiochus in Europam exercitum trajecit ac Lysimachiam obsedit. Ibi L. Cornelio offendit cui mandatum erat inter Syriæ et Ægypti reges certamina dirimere. Jussit Cornelius Ptolemæo restitui civitates quæ in ditione ejus fuissent. Adversus ea Antiochus dixit Asiam nihil ad Romanos pertinere, nec magis illis inquirendum esse quid ipse in Asiâ quàm ipsi quid in Italiâ Romani agerent; quod ad Ptolemæum attineret, sibi cum eo et amicitiam esse et brevi affi-

(1) Hier., 1125.

(2) Liv., 33, 19.

(3) App., *De reb. Syr.*, 2.

(4) A. 197, m. Junio.

(5) Liv., 33, 30.

(6) Liv., 33, 34; Pol., XVIII, 47.

nitatem futuram (1). Inter has disceptationes, rumor allatus est de morte Epiphanis. Statim Antiochus cum omni classe Alexandriam perrexit, ratus suam fore Ægyptum, si tum occupasset; sed quum in itinere cognovisset Ptolemæum adhuc vivere, destitit à priore consilio et Cyprum insulam petiit, unde eum amovit tempestas quæ majorem navium partem demersit (2). Non vanus fuit sermo quem cum Cornelio habuerat. Nam paulò post, Ptolemæo Cleopatram filiam suam despondit ac deinde a. 193 tradidit (3). Ait Hieronymus datam esse dotis nomine Cœlesyriam ac Judæam (4); probabilius tamen est ab Antiocho provinciam hanc fuisse servatam (5).

Pacem rex Syriæ cum Ptolemæo fecerat, non amore ergà eum impulsus, sed quia volebat cum Romanis bellum inire et in illos totas vires convertere. Quem fluctuantem adhuc incitavit Hannibal qui, postquam coactus est Carthagine excedere, ad eum confugit (6). Epiphanes verò in fide Romanorum permansit. A. 191 narrat Livius legatos à Philippo Macedoniæ et Ptolemæo Ægypti rege Romam venisse, pollicentes contrà Antigoni auxilia, et pecuniam, et frumentum; ab Ptolemæo etiam aurum et argentum allatum; nihil ejus acceptum, gratiæ regibus actæ, et quum uterque se cum omnibus copiis in Ætoliam venturum belloque interfuturum diceret, Ptolemæo id remissum, Philippo respon-

(1) Liv., 33, 39.

(2) Liv., 33, 40; App., *De reb. Syr.*, 4.

(3) Liv., 35, 13.

(4) Hier., *In Dan.*, 1126.

(5) Vide infra, p. 17.

(6) Liv., 33, 49.

sum gratum eum senatui populoque romano facturum si M'. Acilio non defuisset (1). Ideò senatus, ut videtur, Epiphanis subsidia recusavit, primùm quia non egebat, deinde quia nolebat eum post victoriam spoliolum Antiochi participem fieri. Victis apud Magnesiam Syriacis a. 190, multæ Antiocho adeptæ urbes, sed earum nulla Ægypto data est; interdictum regi socios populi romani; inter quos Ptolemæi erant, ultrò aggredi; si qui horum Antiocho bellum inferrent, vim vi arcendi jus fuit, dum ne quam urbem aut bello teneret aut in amicitiam acciperet (2).

Mortuo Epiphane a. 181, regnavit Philometor, quinque annos natus. Quum iste admodum puerili ætate esset, tutelam habuit mater Cleopatra. Illa verò, quoniam cupiditatem Seleuci fratris, Syriæ regis, timebat, nihil melius esse duxit quàm filium Ægyptumque Romanorum patrocínio commendare. Ivit igitur Alexandriam, senatûs jussu, M. Æmilius Lepidus qui tutoris munere fungeretur. De eâ re tacet Livius, sed ita fuisse testatur nummus à doctissimo viro Vaillant sic descriptus: « Caput muliebre turribus ornatum cum inscriptione *Alexandrea* ab unâ parte, ex alterâ verò figura senatoris romani stantis et togati dextrâ coronam tenens suprâ caput regis pueri pariter stantis qui dextrâ scipionem eburneum cum aquilâ in apice gerit, et epigraphe *M. Lepidus pont. max. tutor reg. s. c.* (3). »

Sunt qui existiment Lepidum Epiphanis tutorem fuisse, non Philometoris, freti Justini auctoritate, cujus,

(1) Liv., 36, 4.

(2) Ibid., 38, 38.

(3) *Historia Ptolemæorum* (Amstelœdami, 1701), p. 87. Feuardent, *Monnaies des rois grecs d'Eg.* (Paris, 1869), p. 71.

in enarrandâ Epiphanis vitâ, hæc verba sunt : « Mittitur M. Lepidus in Ægyptum qui tutorio nomine pupilli regnum administret (1). » Quæ opinio quàm falsa sit facilè ostendetur. Si Epiphanis tutelam Lepidus suscepisset, nullo alio tempore munus illud inchoasset quàm quum legationem eam perfecit de quâ Livius loquitur a. 201 (2). Livius autem Lepidum cum Claudio Nerone et Sempronio Tuditano ait tum missum esse, ut hoc unum nuntiaret, Hannibalem Zamæ esse victum. Idem quoque auctor nos docet Lepidum Ægypto statim abiisse; nam initio anni 200 tradit eum ad Philippum, Macedoniae regem, venisse (3). Ceterum junior ille erat a. 201 quàm ut negotium hoc mandaretur quod Justinus putat tunc esse datum; etenim Magnesiæ a. 190 tribunus tantum erat militum (4), consulatumque iniit a. 187 cum Flaminino collegâ (5); quomodo autem fieri potuisset ut tutelam regis Ægypti gereret vir qui non esset consularis? Constat igitur eum Philometoris tutorem fuisse, quoniam inter Ptolemæos nullum alium reperias, qui alicujus Lepidi pupillus fuisse queat. Quando autem Alexandriam eo nomine appulerit et quamdiù ibi remanserit, planè incertum est. Nummus, de quo suprâ locuti sumus, Lepidi pontificatum commemorat, qui illi delatus est exitu anni 180 (6). Sed verisimile est eum in Ægyptum navigasse priusquàm pontifex maximus esset, non solum quia summo ponti-

(1) Just., 30, 30.

(2) Liv., 31, 2.

(3) Liv., 31, 18; Pol., XVI, 34.

(4) Liv., 37, 43.

(5) C. I. L., I, 436.

(6) Liv., 40, 42.

fici Italiâ abesse tunc nefas erat (1), verum etiam quia a. 179 Lepidus creatus est censor (2). Nummus hoc unum demonstrat Lepidum, quum cusus fuit, et tutorem fuisse et pontificem esse. Videtur ille Alexandriam ivisse sive exeunte a. 181, sive ineunte a. 180, et post aliquot menses Romam rediisse; satis erat ad id quod senatus sibi proponebat, si significaretur Ptolemæum habere qui eum defenderet. Sensit rex Syriæ quàm ardua res foret regnum aggredi quod romana majestas tueretur, ideoque armis abstinuit.

Pacata omnia et quieta fuere quoad vixit Cleopatra, Philometoris mater. Sed, post illius mortem (a. 173), incidit in manus Eulæi ac Lenæi Ægypti administratio, moxque orta est inter Ptolemæum et Antiochum Epiphanem, Syriæ regem, novi belli causa. Promiserat olim Ptolemæo Epiphani Antiochus magnus Cœlesyriam, quum filiam suam desponderat; verum ea provincia, seu Antiochus magnus, ut videtur, tradere recusaverat (3), seu Antiochus Epiphanes fraude occupaverat (4), in Syriorum potestate erat circa a. 171. Quâ potiri regis ministri statuere, quamvis omni usu bellicarum artium carerent, nullumque aut consiliis idoneum virum aut fortem ducem haberent (5). Quod ubi intellexit Antiochus, senatum per legatos certiore fecit illatæ injuriæ (6). Venerant quoque Romam Alexandrini legati ad renovandam amicitiam et ad observanda

(1) Ibid., 28, 38; *Epit.*, 59.

(2) Ibid., 40, 45.

(3) Pol., XXVIII, 1, 3; *ibid.*, 17, 9.

(4) Hier., 1128.

(5) Diod. Sicul., 30, 15.

(6) Pol., XXVII, 17.

Syriorum artificia. Renovata cum Ægyptiis amicitia, Syriis que responsum Q. Marcio tunc in Græciâ legato datum iri negotium ad Ptolemæum de iis rebus scribendi (1). Bellum, si voluisset, senatus impedire poterat; sed eo tempore è republicâ erat Ægypti ac Syriæ reges inter se pugnare, ne forte Antiochus Perseo, Macedoniæ regi, auxiliaretur, cum quo Romani variâ fortunâ dimicabant.

Victi sunt prope Pelusium Ptolemæi duces, rexque ipse, seu in prælio captus, seu à suis ob turpem fugam expulsus, ad Antiochum venit (2). Alexandrini verò fratrem minorem, Evergetem, qui postea Physco nominatus est, regem creavêre a. 170, et quum Antiochus, sub honestâ specie majoris Ptolemæi reducendi in regnum, urbem obsedisset (3), acriter restitêre. Ægyptii, ut consueverant, Romanorum benevolentiam imploravêre. « Legati ab Ptolemæo (Evergete) et Cleopatrá (sorore) regibus, sordidati, barbâ et capillo promisso, cum ramis oleæ ingressi curiam procubuerunt, et oratio quàm habitus fuit miserabilior. Orabant senatum ut opem regno regibusque amicis imperio ferrent; ea merita populi romani in Antiochum, eam apud omnes reges gentesque auctoritatem esse, ut si legatos misissent qui denuntiarent non placere senatui sociis regibus bellum fieri, extemplò abscissurus à mœnibus Alexandræe abducturusque exercitum in Syriam esset; quod si cunctentur facere, brevi extorres regno Ptolemæum et Cleopatram Romam venturos, cum pudore

(1) Ibid., XXVIII, 1, 8 et 9.

(2) Hier., 1128.

(3) « Exstant nummi ab Antiocho cusi in quodam loco qui prope Alexandriam erat » (Feuardent, tab. XI, 274, 276, 277).

quodam populi romani quòd nullam opem in ultimo discrimine fortunarum tulissent.» Statim missi sunt C. Popilius Lænas et C. Decimius et C. Hostilius ad finiendum inter reges bellum; prius Antiochum, dein Ptolemæum adire jussi, et nuntiare, ni absistatur bello, per utrum stetisset, eum non pro amico nec pro socio habituros esse (1); mandatum quoque iis videtur fuisse legationem non prius peragere quàm bellum macedonicum audirent confectum.

Interea Antiochus, quum intellexisset se non posse Alexandriam expugnare, obsidionem solverat, et relicto Memphi Philometore, in Syriam redierat, sperans brevi discordias inter duos fratres oriundas esse, quorum alter Memphi, alter Alexandriæ regnabat, sibi que occasionem hanc futuram Ægypti rursus invadendæ. Quamobrem validum Pelusii præsidium collocaverat, quo veluti claustra Ægypti teneret, ut, quum vellet, copias iterum induceret. Hæc, ait Livius (2), prudenter animadversa à Philometore minor frater quique cum eo erant acceperunt; itaque consentientibus cunctis Alexandriam major Ptolemæus admittitur, et exinde commune fuit amborum in totâ Ægypto regnum. Quæ res adeò Antiochum offendit ut Cyprum confestim classem miserit et ipse cum exercitu Ægyptum petierit. Obviam venerunt Ptolemæi legati postulantes quid fieri vellet; quibus respondit non aliter neque classem revocaturum neque exercitum, nisi sibi et Cypro et Pelusio agroque qui circa Pelusiacum ostium Nili esset cederetur. Postquam dies data indutiis præterit, Alexandriam

(1) Liv., 44, 19.

(2) Liv., 45, 11.

modicis itineribus descendit. Interim Popilius Lænas in insulâ Delo exspectabat belli Macedonici exitum. Ubi fama pervasit Persea apud Pydnam victum fuisse a. 168 m. sept. (1), maturavit in Ægyptum proficisci (2). Antiocho occurrere legati romani, quum hic quatuor millibus Alexandriâ abesset. « Quos quum advenientes salutasset, dextramque Popilio porrigeret, tabellas ei Popilius senatusconsultum scriptum habentes tradit, adque omnium primum id legere jubet; quibus perlectis quum se consideraturum, adhibitis amicis, quid faciendum sibi esset dixisset, Popilius pro ceterâ asperitate animi, virgâ quam in manu gerebat circumscripsit regem, ac : « Priusquam hoc circulo excedas, inquit, redde responsum senatui quod referam. » Obstupefactus tam violento imperio parumper quum hæsitasset, « faciam, inquit, quod censet senatus. » Tum demum Popilius dextram regi tanquam socio atque amico porrexit. Die deinde finitâ, quum excessisset Ægypto Antiochus, legati, concordîâ etiam auctoritate suâ inter fratres firmatâ, Cyprum navigant et inde quæ jam vicerat prælio Ægyptias naves classem Antiochi dimittunt. Addit Livius : « Clara ea per gentes legatio fuit quod haud dubio adempta Antiocho Ægyptus habenti jam redditumque patrium regnum stirpi Ptolemæi fuerat (3). » Cœlesyriam, unde nata erat tota illa contentio, Antiochus servavit; satis fuit Ægyptum ei eripere. Ceterum Seleucidæ, ex quo post victoriam Magnesiam facta pax cum iis erat, non minus quam Lagidæ clientes erant populi romani, senatusque illos

(1) Eutrop., IV, 7.

(2) Liv., 45, 10.

(3) Liv., 45, 12; Pol., XXIX, 11; Hier., 1129; Just., 34, 3.

ab omni injuriâ defendere debebat. Parum intererat utrum Antiochus Cœlesyriam jure an fraude teneret; hoc ipsum quod senatus Seleucidas sociorum et amicorum nomine dignos judicaverat, eos adversus omnem imperii deminutionem tutabatur. Huc accedit quod melius esse videbatur Phœniciæ portus et littora in potestate Syriorum regum manere quorum maritimæ vires à Romanis circumscriptæ fuerant (1), quàm in Ptolemæorum manus transire.

Paulò post Popilii et Antiochi congressum, « legati Romam venèrè, referentes omni victoriâ potiore pacem Antiocho, senatui quæ placuisset, visam, eumque haud secus quàm deorum imperio legatorum romanorum jussis paruisse; gratulati deinde victoriam (Pydnensem) sunt, quam omni ope, si quid imperatum foret, adfuturum regem fuisse. Ptolemæi (Evergetis) legati communi nomine regis et Cleopatraræ gratias egerunt; plus eos senatui populoque romano quam parentibus suis, plus quàm diis immortalibus debere, per quos obsidione miserrimâ (Alexandriæ) liberati essent, regnum patrium propè amissum recepissent. Respondit ab senatu est Antiochum rectè atque ordine fecisse quòd legatis paruisset, gratumque id esse senatui populoque romano; regibus Ægypti Ptolemæo Cleopatraræque, si quid per se boni cummodique evenisset, id magnopere senatum lætari, daturumque operam ut regni sui maximum semper præsidium positum esse in fide populi romani ducant (2). »

(1) Liv., 38, 38.

(2) Liv., 45, 13.

CAPUT III.

QUOMODO ROMANI LAGIDARUM DISCORDIIS SESE IMMISCERE COEPERINT.

Mox inter Ptolemæos simultates intervenère. Philometor à minore fratre expulsus Romam confugit circa a. 159. Qui, ait Diodorus, quum urbem pedestri itinere appropinquaret, agnitus est à Demetrio, Seleuci, Syriæ regis, filio, qui insperato casu commotus magnificentiæ suæ ac plane regii animi illustre specimen dedit. Statim enim paratâ veste regiâ cum diademate et equo aureis phaleris ornato, stipatus suis famulis, Ptolemæo obviam processit, eique vicesimo sexto ab urbe lapide occurrit. Quem postquam comiter salutavit, hortatus est ut cum regiis insignibus Romam intraret ne omnino despiceretur. Ptolemæus autem recusavit et in hospitium Alexandrini pictoris se contulit. Quæ res senatui ubi renuntiata est, regem liberaliter tractari jussit et à quæstore munera quotidie dari. Missi etiam sunt Canuleius et Quintus legati qui eum restituerent et cum fratre reconciliarent. Eorum operâ fœdus ictum ut Philometor in Ægypto, Evergetes Cyrenis regnaret (1).

(1) Diod. Sicul., 31, 18; Val. Max., V, 1; Pol., XXXI, 18; Liv., *Epit.*, 46-47.

Hæc ita fuisse narrat Vaillant (1) certissimis fretus auctoribus, quorum fidem aspernatus Champollion-Figeac (2) singularem de his rebus profert opinionem. Putat ille non Philometora Ægypto pulsum esse, sed Evergetem, iis quæ sequuntur argumentis usus :

1° Porphyrius, quem Vaillant citat in testimonium, nullum Philometoris iter commemorat.

2° Diodorus Ptolemæum tantum appellat regem eum qui Romam ivit, nullo addito cognomine, ideòque dubitari potest utrum ille Philometor fuerit an Evergetes.

3° Polybius sæpissimè ait Romam profectum esse *Πτολεμαίων τὸν νεώτερον* quibus verbis Evergetes significatur.

4° Athenæus narrat Evergetem Romam venisse (3).

Diodorus, quoniam ambigitur de quo loquatur, opinionem quam Vaillant defendit neque probat neque infirmat.

Polybius atque Athenæus rem fide dignam testantur, quum perhibent Evergetem Romam perrexisse; sed hoc iter prorsus diversum est ab eo quod Philometor suscepit, velut infra demonstrabitur.

Porphyrii autem hæc verba sunt : « Ἀφαιρεθέντα τῆς ἀρχῆς τὸν πρεσβύτερον ὑπὸ τοῦ νεωτέρου κατάγουσι Ῥωμαῖοι (4). » Nulla quidem ibi mentio reperitur itineris a Philometore peracti; sed quoniam hic locus ostendit majorem Ptolemæum à minore spoliatum regno fuisse, satis apparet priorem ad senatum confugisse, non posteriorem.

Denique Livius, quem Champollion-Figeac planè

(1) *Hist. Ptol.*, 96.

(2) *Ann. des Lag.*, II, 150 et sq.

(3) *Deipnosoph.*, p. 654.

(4) *Fragmenta histor. gr.* (ed. Didot), III, 721.

omittit, apertissimè declarat Ptolemæum à minore fratre pulsum esse, et à Romanis restitutum (1).

Erroris, in quem Champollion-Figeac incidit, causa manifesta est. Divisionem quæ inter duos fratres est facta, ita ut alter Ægyptum, alter Cyrenas haberet, Popilio Lænati attribuit, quum constet Popilium tantum laborasse ut Ptolemæorum concordiam firmaret (2), neque singulas Lagidarum regni partes utrique assignatas esse ante a. 159 (3).

Doluit brevi Evergetes sibi relictum fuisse parvi momenti regnum, et ipse Romam navigavit, oraturus ut Cyprus saltem adjiceretur. Contra legatus Philometoris dicebat Ptolemæum juniorem non Cyrenas solum, sed etiam vitam fratris operâ retinere, tanta erat in eum subditorum invidia! contentus itaque debebat esse Cyrenis quas præter spem possideret. In Evergetis sententiam inclinavère patres, verentes ne Philometor successoresve ejus, maximâ suâ potentiâ elati, ad immoderata consilia olim raperentur (4). Quapropter T. Torquatus et Cn. Merula designati sunt qui Evergeti Cyprum traderent et pacem inter fratres conciliarent. Ptolemæus junior in Græciam transiit, ibique magnum numerum militum mercede conduxit, et insulam invadere cogitavit. Sed Torquatus in memoriam senatûs-consultum revocavit qui absque bello jusserat Ptolemæum restitui, eique persuasit ut rerum eventum Athenis exspectaret (5). Romanus, quum Alexandriam

(1) Liv., *Epit.*, 46.

(2) Ibid., 45, 12.

(3) Ibid., *Epit.*, 47.

(4) Pol., XXXI, 18, 8.

(5) Pol., XXXI, 25.

ivisset, frustrâ Philometora eò adducere studuit ut Cyprum libenter fratri concederet. Quod ubi audivit Evergetes, Romam misit legatos cum Merulâ qui de eâ injuriâ quererentur (1); venit quoque in urbem Philometoris legatus, Menyllus. Hi omnes postquàm diù inter se in curiâ altercati essent, placuit senatui Menyllum intra quintum diem urbe excedere, et ad majorem Ptolemæum legatos mitti qui denuntiarent eum non jam amicum esse populi romani (2). Ut decretum erat legati fecêre. Mox autem Romam rursus ingressus est Evergetes cui copias paranti frater insidiatus erat. Cujus criminibus quum respondere vellent Philometoris novi legati, senatus eos quoque urbe expulit; deinde negotium Merulæ ac Thermo dedit juniorem Ptolemæum in Cyprum reducendi, scribens Asiæ Græciæque sociis licere illis regem hunc adjuvare (3). Vim vi arcere Philometor ausus, fratrem, qui Cyprum iterum tentaverat, cepit; sed tantum abfuit ut istius injuriæ pœnas ab illo repeteret, ut contra filiam desponderit, et dona insuper addiderit (4). Videtur ei non Cyrenas solum tradidisse, verum etiam quasdam Cypri urbes cum certo quotannis frumenti modo (5). Quâ moderatione conatus est in gratiam populi romani redire quem contumaciâ suâ offenderat.

Philometori postquam successit frater Evergetes Physco a. 146, Romanorum amicitiam assiduè coluit. Sub eo principe, Scipio Africanus, Sp. Mummius et

(1) Ibid., 26-27.

(2) Ibid., XXXII, 2. Cf. Diod., 31, 23.

(3) Pol., XXXIII, 5.

(4) Ibid., XL, 12.

(5) Vaillant, 99.

L. Metellus qui, senatûs jussu, sociorum regna inspiciebant, Alexandriam a. 143 venêre (1). Quos multitudo maximo plausu excepit; rex ipse obviam ivit, sed tam ridiculus legatis fuit quàm civibus cruentus (2). Ait Posidonius qui Scipionem comitabatur : « Ob luxuriam corpus ejus obesitate ventris tantâ mole erat ut vix ulnis complecti quis posset, neque unquam pedibus è regiâ prodibat, nisi tum Scipionis causâ (3). » Quum Romanorum ambulationem ægrè æquaret, Scipio Pannætio in aurem insusurravit : « Jam nunc itineris nostri fructum Alexandrini cepère, qui propter nos regem viderint deambulantem (4). » Legati summâ cum curâ observavère Alexandriæ situm et amplitudinem; deinde, Memphim navigantes, terræ ubertatem mirati sunt, Nili opportunitates, urbium multitudinem, totamque Ægypti excellentiam, quàm bene esset ad securitatem magnitudinemque regni comparata; ac florentissimum in ea censuère constitui posse imperium si idoneos dominos nacta esset (5). De his omnibus rebus ad sequentem retulère, quod quidem eò magis animos induxit ut regionem illam in ditionem suam redigere vellent.

(1) Justin., 38, 8. Cf. Person, *De P. Cornelio Scipione Æmiliano* (Paris, 1877), p. 69-73.

(2) Justin., *ibid.*

(3) Ap. Athen., p. 549, e.

(4) *Fragm. hist. gr.*, III, 255.

(5) Diod. Sic., 33, 18.

CAPUT IV.

DE APIONIS TESTAMENTO.

Brevi occasio data est regni hujus partem acquirendi. A. 117, Evergetes moriens Apioni, filio è concubinâ nato, Cyrenas testamento reliquerat. Hic vero Apio Romanos heredes fecit, eumque constat a. 96 obiisse. Cyrenaicam non statim in provinciæ formam redactam fuisse contendit in opusculo nuper edito W. Rossberg (1), optimis, ut videtur, argumentis usus. Ait Livius : « Ptolemæus, Cyrenarum rex, cui cognomen Apionis fuerat, mortuus heredem populum romanum reliquit, et ejus regni civitates senatus liberas esse jussit (2). » Testatur Plutarchus eo tempore quo Sulla Athenas obsidebat, id est a. 86, Cyrenaicas urbes intestinis turbatas fuisse discordiis quæ a Lucullo placatæ sunt (3). Sequitur inde diù post Apionis mortem Cyrenas in potestatem Romanorum venisse; neque Justini verba, licet obscura, cum istâ sententiâ discrepant (4). Jure opinatur Ross-

(1) *Quæstiones de rebus Cyrenarum provinciæ romanæ* (Frankenbergæ, 1876), p. 7 et sq.

(2) Liv., *Epit.*, 70.

(3) Plut., *Lucullus*, 2.

(4) Just., 39, 5.

berg, Marquardtii auctoritate fretus, « Cyrenas ob eam rem non statim in provinciam esse redactas quòd regio parva magno præsidio fuisset tenenda (1). » Quo autem anno inter provincias numerari cœperit, scire difficilius est. Scribit hæc Appianus : « CLXXVI^a Olympiade, duo regna testamento Romanis obtigère, Bithynia à Nicomede data, et Cyrene à Ptolemæo qui appellabatur Apio (2). » Nicomedes verò, secundum Eutropium, mortuus est a. 74 (3). Ergò, si Appiano credas, hic est annus quo Cyrenæ in provinciam redactæ sunt. Pugnat autem cum isto auctore Eusebius qui, memoratâ a. 96 Apionis morte, ait a. 65 : « Libya per testamentum Apionis regis Romanis relicta; » quæ verba non illud tempus indicant quo testamentum factum est, sed illud quo Cyrenaïca adjecta est romano imperio. Item Eutropius, postquam narravit Q. Cæcilium Metellum de Cretensibus triumphasse, quod quidem accidit a. 62 (4); hæc addit : « Quo tempore Libya quoque Romano imperio per testamentum Apionis, qui rex ejus fuerat, accepit. » Intelligenda sunt ista verba non quasi Cyrenæ in potestatem Romanorum post annum 62 venerint, sed potius circà hunc annum : unde fit ut Eusebius Eutropiusque inter se ferè consentiant. Utra opinio melior habenda sit, Eusebii ne an Appiani, nunc quærendum est. Quâ de re existimo omnem dubitationem tolli debere fragmenta quodam Sallustiano quo docemur Cn. Cornelium Lentulum Marcellinum quæstorium in Cyrenaïcam missum, quum primum eam esse provinciam romanam

(1) Rossberg, p. 16.

(2) App., *De b. c.*, I, 111.

(3) Eutr., VI, 6. Cf. *C. I. L.*, I, 439.

(4) Eutr., VI, 16. Cf. *C. I. L.*, I, 460.

senatus decrevit (1). Manifestum est Marcellinum hunc eundem esse qui 56 consul fuit (2). Prætor vero fuit a. 60, quoniam a. 59 pro prætore Syriam administravit (3). Quomodo igitur fieri potuisset ut vir nobilissimus quæsturam gessisset a. 74 aut etiam 75 (4), quum constet secundum leges Villiam et Corneliam quinque tantum annos inter quæsturam ac præturam plerumque interfuisse (5)? Quòd si Eusebio atque Eutropio assentiaris, non Appiano, quæstor fuit Marcellinus a. 66, quæstorius Cyrenis a. 65, forsitan ædilis a. 63 (6), ac prætor a. 60. Ob eam causam videntur Cyrenæ in provinciam esse redactæ potius a. 65 quam a. 74.

(1) Sall., *Fragm.* (ed. Dietsch), II, 39. Vide Rossberg, p. 8 et 23.

(2) Rossberg, p. 25 et sq.

(3) App., *De reb. Syr.*, 51. Cf. Hölzl, *Fasti prætorii* (Lipsiæ, 1876), p. 52.

(4) Si quæstorius Cyrenas ivit a. 74, debuit quæsturam in urbe gerere præcedenti.

(5) Vide Humbert, *Dict. des antiq. gr. et rom.*, p. 271.

(6) Marcellini ædilitas nusquam memoratur, nam Cicero (*De off.* II, 16, 57) de Spinthere loquitur; potuit tamen magistratum illum eodem anno gerere, aut anno sequenti, aut etiam omninò non gerere.

CAPUT V.

DE ALEXANDRI II TESTAMENTO.

At in Ægypto, Lathyrus moriens a. 81 filiam unam reliquerat, quam Pausanias Berenicen, Porphyrius Cleopatram vocat (1). Huic Sulla regnum eripuit, quo jam potita erat. Plurimis abhinc annis, sub Alexandro I (a. 107-89), quum illius frater Lathyrus, qui tum in Cypro regnabat, Ægypto immineret, eorum mater Cleopatra juniorem Alexandrum, prioris Alexandri filium, in insulam Coum cum thesauris miserat. Traditus hic est à Cois Mithridati a. 86; mox autem, dolo usus, apud Sullam aufugit cujus in familiaritatem receptus est. Eum Sulla regem Ægyptiis dedit (2).

Constat ab illo Alexandro testamentum scriptum esse quo regnum Romanis legaret, senatum verò hanc hereditatem adire noluisse. Gravissimum de eâ re Cicero affert testimonium quum hæc ait in oratione adversus Rullum habitâ: « Quis vestrûm ignorat dici illud regnum testamento regis Alexæ populi romani esse factum (3)? »

(1) Pausan., I, 9, 3; Porph., ap. *Fragm. hist. græc.* (Didot), III, 722.

(2) App., *De b. c.*, I, 102.

(3) *De lege agr. orat.* II^a, 16, 41.

Addit quidem secundum multorum opinionem nullum fuisse testamentum (1); sed isti ita loquebantur, quia hereditatem accipere senatus recusaverat. Huc accedunt verba quædam ejusdem Ciceronis ex eâ oratione de prompta quæ inscribitur *de rege Alexandrino*: « Hoc est, inquit, summi imperii nosmetipsos de nostris rebus judicare qui ex hereditate tantâ unum solum nomen agnoverimus (2). » Manifestum est de nullâ hereditate hîc agi nisi de eâ quæ Alexandri benevolentia Romanis obtigerat. Nemo quidem est inter veteres historicos apud quem testamenti hujus mentionem reperias; hoc vero eos induxit ut illud omitterent, quod senatus ipse censuerat dari debere oblivioni.

Ne autem mireris tale testamentum ab Ægypti rege esse factum. Eo tempore supererat una Lathyri filia, Berenice; sed istam nuper Sulla regno spoliaverat, ideòque non videbatur posse Alexandro succedere. Quòd si principes Syriæ, Selenes filii, iidemque Physconis nepotes (3), heredes instituerentur, verisimile erat gratum id senatui non futurum esse, quoniam è republicâ non erat eos et in Ægypto et in Syriâ regnare. His amotis, in hereditatem vocandus erat Ptolemæus ille quem Auletem nominavere; verum hunc, è concubinâ natum, sua origo arcebat. Restabat ut Alexander, multorum aliorum regum exempla imitatus, populo romano imperium legaret. Crediderim etiam sub hac conditione eum Alexandriam à Sullâ missum esse. Data quidem facultas regnum liberis tradendi, si quos forte in posterum ha-

(1) Ibid., 16, 42.

(2) II, 2 et 3.

(3) Erat Selenæ Physconis filia, Antiocho Grypo, Syriæ regi, in matrimonium data (Champ.-Figeac, II, 182, 200, 202).

beret; sed si moreretur sine naturali herede, debuit Roma heres fieri; idque, opinor, testamento sancitum est quod Alexander, antequam proficisceretur, in urbe scripsit.

Nunc quærere libet quo tempore hereditas ista Alexandri morte Romanis obvenit. De illo principe orta est controversia disputantium quamdiù regnaverit. Hanc difficultatem facilè expeditis, si modo veterum testimonia paulò attentius perpenderis. Ait Appianus : « Eum Alexandrini, post regnum undeviginti dierum, occiderunt (1). » Occisus est verò quia Berenicen, quam modo duxerat uxorem, interfecerat. « Illud etiam constare video, narrat Cicero in fragmento quodam orationis deperditæ (2), regem illum (Alexandrum II), quum reginam, sororem suam (3), caram acceptamque populo, manibus suis trucidasset, interfectum esse impetu multitudinis. » Quod quidem his Porphyrii verbis confirmatur : « Quum Cleopatram (imo Berenicen) uxorem, elapsis undeviginti diebus, sustulisset, ipse in gymnasio à militibus interemptus est (4). » Ne autem credas inter reginæ ac regis mortem longum tempus potuisse interjici; satis apparet post Cleopatras cæden statim necatum esse Alexandrum.

His argumentis Champollion-Figeac Trogi Pompeii ac Suetonii opponit testimonia (5). Legere licet in prologo libri XXXIX historiarum Trogi Pompeii : « Ut post La-

(1) App., *De b. c.*, I, 102.

(2) *De rege Alexandrino*, III, 3.

(3) Dari solebat hoc nomen uxoribus regum Ægypti (Letronne, *Rec. des inscr. gr. et lat.*, I, 4).

(4) *Fragm. hist. græc.* (Didot), III, 723.

(5) *Ann. des Lag.*, II, 250 et sq.

thyrum filius Alexandri, *expulso*que eo suffectus sit Ptolemæus Nothus (i. e. Auletes); » quibus verbis doceri videmur non occisum fuisse Alexandrum II. Sed si respicias prologum libri XL, hæc quoque leges : « Ut Alexandræ, post interitum Ptolemæi Lathyri, substituti sint ejus filii : alteri data Cyprus, alter (Auletes) seditione flagitatus Romam profugit. » Quum hic inter Lathyrum et Auletem nullam Alexandri II mentionem reperias (1), oportet eum parum diu regnavisse, quod ita evenit si mors illius mortem uxoris continuò secuta est. Pugnant ergò inter se prologus libri XXXIX et prologus libri XL. Quomodo istud fieri potuerit facillè explicabitur. Si priorem considerare velis et cum Justino conferre, animadvertes prologi auctorem, qui profectò neque Justinus fuit neque Trogus Pompeius, nomina miscuisse, ideòque in errores gravissimos delapsum esse. Quo loco Justinus de Apione loquitur (2), intelligit anonymus auctor prologi de Aulete agi, quoniam ambo nothi fuerant. Dum alter narrat Alexandrum I ob matrem interfectam exulasse (3), alter significari putat Alexandrum II ob uxorem occisam expulsus fuisse. Nullà igitur fide dignus est prologus ille quo ad tuendam opinionem suam Champollion-Figeac utitur. Idem quoque de Suetonio dixerim. Ait iste Cæsarem, quum ædilis esset (a. 65), « tentasse per partem tribunorum ut sibi Ægyptus provincia plebiscito daretur, quòd Alexandrini regem suum, socium atque amicum à senatu appellatum,

(1) Cf. Porphy. (*Fr. hist. græc.*, III, 725) qui post Ptolemæum quemdam Philadelphum (i. e. Lathyrum) statim ponit Ptolemæum Dionysum (i. e. Auletem).

(2) Just., XXXIX, 5, 2.

(3) Ibid., 5, 1.

expulerant, resque vulgò improbatur (1). » Sunt qui existiment regem illum Alexandrum quemdam tertium esse qui Auletis regno quasi intercalarius fuit. Equidem conjecturam hanc non approbo, quæ nullo certo argumento nititur. Aliâ ex parte rex iste cujus fugam commemorat Suetonius non videtur fuisse Auletes quem anno tantum 57 ejecere Alexandrini (2). Necesse est igitur putes Suetonium erravisse quod attinet ad regis exsilium. Quis est enim qui scriptoris hujus sententiam contrâ Ciceronis et Appiani et Porphyrii consensum defendere audeat?

Illud etiam Champollion argumenti loco ponit quod Cicero in oratione II^a agrariâ asserit, Alexâ (seu Alexandro) mortuo legatos Romanos Tyrum navigasse, qui ab illo pecuniam depositam recuperarent (3). Putat vir doctissimus Alexandrum, quoniam in istâ urbe pecuniam Romanis deposuerat, ibi mortuum fuisse. — Quid autem regem vetuit, ubi Alexandriam appulit, certum quoddam argenti pondus Tyrum mittere quo beneficii accepti pretium exsolveret? Verisimile est Sullam, quum eum in Ægyptum regio nomine ire jussit, non gratis id fecisse. Corroboratur ea conjectura his Appiani verbis in quibus ait Sullam Alexandro Ægyptum dedisse, quia sperabat χρηματίζεισθαι πολλὰ ἐκ βασιλείας πολυχρύσου (4).

Idem quoque Champollion contendit hunc Alexandrum a. 72 obiisse; quâ opinione refelli existimat quæcumque suprâ protulimus Ciceronis, Appiani ac Porphyrii testimonia. Legitur in oratione IV^a actionis II^æ

(1) Suet., *Div. Jul.*, 11.

(2) Dio, XXXIX, 1 et 12.

(3) 16, 41. Cf. Schol. Bob., in *orat. de rege Alex.* (Orelli, 350).

(4) *De b. c.*, I, 102.

contrà Verrem reges Syriæ, Antiochi Grypi filios, Romæ nuper fuisse ad repetendam Ægyptum quam ad se et ad Selenem matrem pertinere arbitrarentur (1). Postquam biennium ferè in urbe mansissent (2), in Syriam profecti sunt, eorumque alter iter per Siciliam fecit, et Verre prætore venit Syracusas (3): Verres porrò prætor fuit in Siciliâ a. 71, 72 et 73 (4). Sequitur reges Syriæ circà hæc tempora Romæ fuisse. Quæ autem causa fuit itineris istius, nisi recentissima mors Alexandri et Auletis regni initium qui, quia Lathyri filius nothus erat, regio genere non videbatur esse? Constat igitur Alexandrum a. circiter 72 vitâ excessisse (5). — Quanquam verissima est Ciceronis narratio, demonstrabitur potuisse regem a. 81 trucidari. Si ita sese res habuit, satis longum quidem intercessit tempus inter Ptolemæi necem et Syriorum regum navigationem, brevius tamen quàm putat Champollion. Nihil enim impedit quominus hic Antiochus Syracusas appulerit a. 73, quoniam id unum compertum est eum in Siciliâ versatum esse Verre prætori; quam rem si probaveris, Romæ rex fuit a. 75, quinque ferè annis post Alexandri mortem. Cujus verò intervalli facile est rationem reddere. Syriæ reges, quum Romam venêre, pueri adhuc erant, secundum Cicero-nem (6); probabile est igitur eos idcirco iter in Italiam antea non fecisse quia ætas obstabat. Ceterum, prius-quàm Ægyptum repeterent, oportuit illos exspectare

(1) 27, 61.

(2) Ibid., 30, 67.

(3) Ibid., 27, 61.

(4) Klein, *Die Verwaltungsbeamten der Provinzen der Römischen Reichs* (Bonn, 1878), I, 1, 73-74.

(5) *Ann. des Lag.*, II, 265-270.

(6) Cic., I. I.

donec certiores fierent testamentum Alexandri à senatu esse detrectatum. Tum demùm iis licuit jura sua contra Auletem proferre quum apparuit Romanos regnum Ægypti non occupaturos.

Prima illa fuit Romanis oblata occasio Ægypti per pacem acquirendæ, multaque eos hortabantur ut regionem istam sui juris facerent.

Si Hieronymo credas, pecunia annua quæ Philadelpho è publicis vectigalibus redibat erat 14800 talentorum argenti et 1500000 artabarum frumenti (1). Eamdem pecuniam sub Aulete Diodorus Siculus testatur fuisse πλείω τῶν εξακισχίλιων τάλαντων (2), Cicero autem multò majorem (3). Opulentissima quoque erat Lagidarum gaza. « Ex tabulis regiis apparet, ait Appianus, relictas esse à Philadelpho τέσσαρας καὶ ἐξοδμήκοντα μυριάδας τάλαντων Ἀγυπτίων (4). » Si existimaveris de argenteis talentis hîc agi, adeò grandis erat ista pecunia ut vix concipi possit eam tam brevi tempore collectam fuisse. Jure igitur plerique opinantur de æneis talentis agi quæ quinquagies viliora erant (5). Quod ad successores Philadelphi attinet, nulum de eâ re certum testimonium habemus. Constat tamen Ptolemæorum gazam postea auctam esse; nam, post Actiacam pugnam, ubi ea Romam invecta est, « tantam copiam nummariæ rei effecit ut fœnore deminuto plurimum agrorum pretiis accesserit (6). »

Facile intelligetur plebem romanam ob eam causam

(1) *In Dan.*, p. 1122. Cf. Lumbroso, p. 5 et 42.

(2) 17, 52.

(3) Strabo, p. 798.

(4) *Præf.*, 10.

(5) Révillout (*Ac. des inscr. et belles-lettres*, 1877, m. sept. 7).

(6) Suet., *Div Aug.*, 41. Cf. Dion, 51, 21.

cupiisse ut Ægyptus provincia fieret. Olim Macedonum gaza Romam advecta finem attulerat tributorum (1). Lagidarum autem opes multò locupletiores erant, quoniam annui eorum reditus æquabant reipublicæ romanæ vectigalia (2). Quæ si repente augerentur Ptolemæorum divitiis, probabile erat infinitis ferè sumptibus deinceps ærarium par fore. Scèpè antea popularium rogationibus gratuitam annonam petentium obstiterat pecuniæ inopia (3). Redactâ in provinciam Ægypto, nihil tale à magistratibus objici poterat. Illud præcipuè erat animadvertendum feracissimam frumento regionem idoneam esse ad alendam parvo impendio multitudinem.

Ægypti occupandæ non minus cupidi erant equites romani quàm ipsa plebs. Multi enim eorum Alexandria negotiabantur; sed hi apud Lagidas non tam gratiosi erant quàm Græci, qui regum favore freti et longo rerum Ægyptiacarum usu exercitati omnes fermè commercii hujus quæstus ad se trahebant. Adde quòd civibus romanis, qui Alexandria versabantur, nulla erat contrà Ptolemæorum injurias securitas ac tutela. Testis fuit C. Rabirius Posthumus, qui postquàm Auleti magnum argenti pondus mutuò dedisset, ac deinde regis fiscum diæcetis nomine administravisset (4), in carcerem cum familiaribus suis conjectus est, mortis periculum subiit, ac tandem nudus et egens regno evasit (5); propter quæ Cicero exclamat : « Quid stultius quam

(1) Cic., *De off.*, 2, 22, 76.

(2) Mommsen, *Hist. rom.*, VI, 310.

(3) Cic., *Rhet. ad Her.*, 1, 12, 21.

(4) Cic., *Pro Rab. Posth.*, 2; 10, 28. De diæcete, vide Lumbroso 339-340.

(5) *Ibid.*, 14, 39.

equitem romanum ex hâc urbe, hujus, inquam, reipublicæ civem quæ est una maximè et fuit semper libera, venire in eum locum ubi parendum alteri et serviendum sit (1)? » Quòd si Ægyptus provincia fieret, uberrimè tum frugibus terræ et commercio, tum vectigalibus regionis domini futuri erant equites romani, cum summâ libertate populum vexandi servituti jampridem assuetum.

Idem quoque de Ægypto optabant ii omnes qui dominationem aut ex magistratibus divitias quærebant. Nemo eâ tempestate viam ad honores sibi aperiebat nisi amplissimas pecunias profunderet. Ambitus adeò ardebat ut candidatorum fortunas plerumque dissiparent edendi ludi, dandæ largitiones, emenda civium suffragia; multi etiam æs alienum grande conflabant (2). Hos necesse erat, urbanis muneribus functos, opes suas provinciarum spoliis reparare et augere, itâ ut quos consulatus exhausisset, proconsulatus locupletaret. Quicumque igitur imperii aut divitiarum cupidine flagrabant, maximè suâ interesse censebant, si opulentissima Ægyptus Lagidis eriperetur. Primum eligendus erat qui res novæ provinciæ ordinaret et Ptolemæorum gazam in urbem inferret; quod quidem negotium viro illi cui datum foret quæstui ingenti futurum erat. Deinde lautissimum hoc regnum tale erat quale nunquam prætor vel proconsul romanus administravisset, et quoniam Cicero, salvis, ut ipse ait, legibus, post annuam in Ciliâ procurationem HS XXII acquisiverat (3), quantum auri pondus ab iis qui Ægypto præficerentur accumulari debebat!

(1) Ibid., 8, 22.

(2) Mommsen, *Hist. rom.*, VIII, 133.

(3) *Ad fam.*, V, 20, 9.

Senatus verò in eadem semper sententiâ perseveravit, nempe ut regionem illam in populi romani potestatem nollet recipere. Non herclè timebat ne, si forte Ægyptum placeret in provinciam redigi, degenerata Lagidarum stirps acriter legionibus resistere valeret, præsertim universo Oriente subacto. Alia eum ab isto consilio deterrebant. Quum intelligeret multos in civitate esse qui tyrannidem affectarent, temerè sese acturum existimavit, si cujuslibet eorum opes ipse eniteretur amplificare quæ postea contrà rempublicam verterentur. Cui autem Ægypti sub imperium romanum subjungendæ cura mandaretur, permittendus erat magnus copiarum terrestrium ac maritimarum apparatus, ne paucitate militum confirmati libertatem suam defendere Alexandrini tentarent. Idem iste, quoniam Lagidarum gazam in manibus habiturus erat, videbatur peculiarem censum ærarii detrimento, velut multi antea fecerant, aucturus, et tantas divitias assecuturus ut deinde populi favorem sibi conciliaret, summos honores invaderet, atque exercitus privatâ impensâ compararet. Adde quòd Ægyptus naturâ ita erat constituta ut ab uno præside administranda esset. Civem verò romanum cum proconsulari imperio ac plurimis legionibus provinciam hanc tenere periculosum erat. Si quis enim, novarum rerum cupidus, regionem istam sortiretur incolarum multitudine abundantem (1), aditu difficilem (2), frumento fecundam, vectigalibus uberrimam, fieri poterat ut in Ægypto, tanquam in arce, dominationem suam communiret, et, excusso legum iugo, totius Orientis vires

(1) Robiou, 59-65. Lumbroso, 70-74.

(2) Tac., *Hist.*, I, 11.

adversus rempublicam concitaret, velut M. Antonius bello Actiaco egit.

Non igitur mirandum est quòd senatus post annum 81 Alexandri II hereditatem adire recusaverit.

CAPUT VI.

QUOMODO POPULARES AULETEM REGNO SPOLIARE CONATI SINT.

Mortuo Alexandro, Ptolemæus Auletes, Lathyri filius spurius, coronam arripuit, datâ fratri juniori insulâ Cyprio (1).

Romæ probabile est actum esse in curiâ de rebus Ægypti. Fuère profectò qui censerent accipiendum testamentum; sed plerique in aliam sententiam transiêre. Jam enim Sertorius in Hispaniâ moverat seditionem quæ in dies crescebat (2). Mithridates quidem pacem cum populo romano nuper fecerat (3); timendum tamen erat ne novum instauraret bellum atque etiam fœdus cum Aulete iniret, si Romanorum vires in diversissimis regionibus videret destineri. Adde quòd L. Sullæ dictatori, penès quem tota respublica erat, nihil minus expediebat quàm exercitum classemque cuiquam mandare ad subigendam Ægyptum. Placuit igitur senatui legatos Tyrum mittere qui pecuniam ab Alexandro depositam in ærarium inferrent (4), Auletem verò in possessione

(1) Champ.-Figeac, *Ann. des Lag.*, II, 280-281.

(2) Duruy, *Hist. des Rom.*, II, 275 et sq.

(3) Ibid., 240.

(4) Cic., *Orat. II^a agraria*, 16, 41.

regni relinquere. — Quod ubi audivit Selene, paravit pro jure suo Ægyptum contrà spurium vindicare. Sed juniores adhuc ejus filii, Antiochus Seleucusque, erant quàm ut pergerent Romam. Suscepère iter circà a. 75, velut suprà demonstratum est, et causam suam eò acrius oravère quòd ipsa Syria à Tigrañe iis adempta fuerat (1). Eorum preces senatus respuit; nam fieri poterat ut avitum regum aliquandò recuperarent, præsertim opibus Ægypti adjuvantibus, atque ità nimiam acquirerent dominationem.

Quamquam evaserat periculum illud Auletes, tamen non stabilita est ejus auctoritas. Hunc enim, quoniam ne genere quidem regio videbatur esse (2), et rex factus erat origine minus suà quàm senatùs benevolentia, Romani magis contemnebant quàm priores Ptolemæos. Regno quod illi concesserant, si forte res postularet, existimabant sibi licere potiri, et quia populares, ob eas omnes causas quas jam enumeravimus, valdè optabant Ægyptum in provinciam redigi, sæpe in eo fuit Auletes ut imperio exueretur. In oratione quæ inscribitur *de præturâ Siciliensi*, Cicero, quum conetur ostendere Verrem indignum esse qui in senatu sententiam ferat, hæc ait : « Retinete hominem in civitate ut sit qui vobiscum res judicet... Quandò autem homo tantæ luxuriæ atque desidiæ nisi Februario mense (i. e. mense legationum) aspirabit in curiam? Verum veniat sanè, decernat bellum Cretensibus, liberet Byzantios, *regem appellet Ptolemæum* (3). » Ergò a. 70 Auletes nondum in amicitiam populi romani acceptus fuerat, idque per

(1) Vaillant, *Hist. Ptol.*, 135.

(2) Cic., *ibid.*, 16, 42.

(3) 31, 76.

legatos assequi tentabat. M. Licinius Crassus a. 65, quum esset censor, vehementissimè contendit ut Ægyptum stipendiariam faceret; Catulus autem collega acriter restitit; inde, ortâ controversiâ, magistratum ultrò abdicârunt (1). Eodem anno, C. Julius Cæsar ædilis per tribunos egit ut sibi Ægyptus provincia plebiscito daretur (2). A. 63, P. Servilius Rullus legem promulgavit quâ juberet decemviros vendere quidquid esset extrâ Italiam, quod publicum populi romani factum fuisset L. Sullâ Q. Pompeio consulibus (a. 88) aut postea (3). Erat autem decemvirorum potentiae permissum judicare quæ loca publica populi romani facta essent. Iis igitur licebat, secundum Alexandri testamentum, de Ægypto decernere, et, ut ait Cicero, urbis copiosissimæ Alexandriae, pulcherrimorumque agrorum arbitros, dominos, reges denique opulentissimi regni fieri (4). Sed frustrâ ab his omnibus elaboratum est ut Ægyptus sub dominationem romanam veniret; eorum nempe consiliis senatus optimatesque semper obstiterè.

Videtur Auletes inter hæc discrimina talem se gessisse qualem decebat clientem populi romani. Quum redintegratum est bellum Mithridaticum, ejus societatem rex Ponti, ut opinor, quæsivit; Ptolemæus autem inclinare in neutram partem voluit, et auxilia Mithridati contra Romanos præbere recusavit, velut olim Lathyrus Romanis contra Auletem recusaverat (5). Desponsæ tamen fuère regis hujus filiae, Mithridatis ac Nyssa, Auleti fra-

(1) Plut., *Crassus*, 13.

(2) Suet., 11.

(3) Cic., *De lege agr. orat. II*^a, 15, 38.

(4) Ibid., 16, 43.

(5) Plut., *Lucullus*, 2 et 3.

trique, quos verò non in matrimonium duxère, nam simul cum patre obierunt (1). Quam pactionem Romani eò minus crimini habuère, quod Ptolemæus omni operâ contendit ut eos placaret. Mortuo Mithridate, quum Pompeius res Asiæ ordinaret, legationem illi misit Auletes cum numeribus, pecuniâque et vestimentis exercitui destinatis; rogavit etiam ut in regnum transiret ad seditiones comprimendas (2). Pompeius Ægyptum non intravit, eâ præcipuè causâ impulsus, quòd Auletes nondum amicus erat populi romani, sed eum in patrocinium suum accepit.

A. 59, quum audivisset Ptolemæus C. Julium Cæsarem consulatum iniisse, extemplo novi consulis favorem sibi comparavit. Quod petebat faciliè impetravit, tantam pecuniæ vim Pompeio Cæsarique dedit vel pollicitus est! Igitur lege et senatusconsulto societas cum eo est facta, confirmatumque regnum quod sine ullo legitimo jure ad hanc diem tenuerat (3).

Longè aliam fortunam sortitus est frater. Olim offenderat P. Clodium quum is, à piratis captus, postulavisset ab opulento rege ut pretium pro suâ redemptione daret, rexque duo tantum talenta obtulisset (4). Itaque Clodius, ubi tribunatum adeptus est, legem a. 58 promulgavit quâ jubebat Cyprum insulam in provinciæ formam redigi (5). Erat enim popularibus id consilium prolatare in dies fines imperii, quò ærarium, majoribus opibus auctum, amplioribus quoque impensis suffice-

(1) App., *De b. Mithr.*, 111.

(2) Ibid., 114. Plin., *Hist. nat.*, 33, 10.

(3) Cæsar, *De b. c.*, III, 107; Dio, 39, 12; Suet., 54.

(4) App., *De b. c.*, II, 23.

(5) Dio, 38, 30.

ret, et quia Ægyptus, adversante senatu, acquiri non poterat, statuere saltem Cyprum occupare quæ præ exiguitate haud spernenda præda erat. Mandatum hoc negotium integerrimo Catoni quem Româ arcere triumviri volebant (1). Obstupefactus inopino nuntio Ptolemæus (nam de populo romano nunquam malè meritus erat (2), auxilia ab Alexandrino fratre petiit, quæ iste denegavit; et ubi intellexit nullum adiutorem sibi expectandum esse, venenum hausit (3). Cato autem, quum Cyprum appulisset, collectâ omni defuncti regis gazâ, coegit argenti talenta circiter septies mille, quorum ne minimam quidem sibi seposuit partem (4). Insula verò provincia prætoria facta est (5).

Interea Auletes, regno expulsus, Romam confugerat (a. 57). Seditio incesserat propter gravissima tributa quibus subjectos oneraverat quum conabatur pecuniam quærere quâ Pompeii, Cæsarisque ac senatûs amicitiam captaret (6). Illud quoque videtur Alexandrinorum odia in eum concitavisse, quòd Cypri regem contrâ Romanos tutari recusaverat. Ait quidem Timagenes Ptolemæum nullâ actum necessitate exsulasse, sed potius à Theophane quodam persuasum qui Pompeio suppeditare studuerat occasionem Auletis in regnum restituendi; hunc verò rumorem, à Plutarcho allatum, Plutarchus ipse fide dignum esse negat (7). Ubi rex Romam advenit, eum Pompeius comiter excepit, et apud se dever-

(1) Cic., *Pro Sestio*, 28, 60.

(2) Ibid., 27, 59.

(3) Val. Max., VIII, 15; IX, 4. Plut., *Cato minor*, 36.

(4) Plut., *Cato*, 38.

(5) Strabo, XIV, p. 685.

(6) Dio, 39, 12.

(7) Plut., *Pomp.*, 49.

sari jussit, seque ejus patronum professus est (1). Ptolemæus autem, sive pecuniâ suâ, sive eâ quam hospitis gratiâ mutuatus est, plerosque senatores oppugnavit, brevique apud illos in summo honore fuit (2). Quum filiæ ejus, Cleopatra ac Berenice, quæ Auleti successe-
rant, centum viros Romam misissent qui eas Ægyptios-
que contrâ regis injurias defenderent, ipsumque accusa-
rent, ille alios in itinere, alios in urbe interfecit, aut
mercede datâ corripuit ; quæ omnia impunè fuere (3).
Non apparet quemquam tunc petiisse ut Ægyptus in pro-
vinciam redigeretur ; ea res tantum agitata est, à quo
Auletes reduci deberet (4). Vehementissimè optabat Pom-
peius ut hoc sibi munus committeretur, non solum
quia sperabat magnum argenti pondus sese inde collec-
turum, verum etiam quia putabat manifestum ita cunc-
tis fore se reipublicæ externorumque populorum domi-
num esse. Cujus ambitioni optimates acriter repugnare,
non odio erga Ptolemæum, sed tyrannidis timore. Pri-
mum vulgatum est Sibyllinum quoddam oraculum cu-
jus hæc fermè forma erat : « Si rex Ægypti auxilii egens
venerit, amicitiam ei ne denegaveritis ; nullis tamen
copiis eum adjuveritis ; sin aliter, labores et pericula
habebitis (5). » Variæ deinde sententiæ prolatae sunt :
una Bibuli ut legati tres Auletem Alexandrinis restitue-
rent, altera Hortensii ut P. Cornelius Lentulus Spinther,
Syriæ proconsul, sine exercitu reduceret, tertia Volca-

(1) Dio, 39, 14.

(2) Cic., *Pro Rab. Posth.*, 2 ; *Ad fam.*, I, 1.

(3) Dio, 39, 12-14 ; Cic., *Pro Cælio*, 10, 23.

(4) Quum Servilius negaret reduci oportere, Cicero ait hoc « magis
iratorum hominum studium quam constantis senatûs consilium esse »
(*Ad fam.*, I, 2 et 7).

(5) Dio, 39, 15.

tii ut Pompeius solus comitaretur (1). Nulli autem earum, ob mutuas factionum similitudines, à frequenti senatu assensum est, resque diù in controversiis jacuit. Tandem (a. 55), postquam, renovatà triumvirali pactione, Pompeius et in curià et in concione regnavit, suasit Gabinio, Syriæ proconsuli, ut Ptolemæo præstò foret (2). Qui quanquam præfecto neque provinciæ finès egredi, neque bellum arbitrio suo suscipere licebat, tamen, hortante regis pecunià, Ægyptum cum armatis invasit, ac, paucis resistantibus, Auletem in urbe Alexandrià collocavit. Inde, in Syriam reversus, ab exercitu suo milites detraxit quibus rex, veluti præsidio, uteretur; de iis verò rebus nihil per litteras ad senatum retulit (3). Quæ omnia ubi Romæ nuntiata sunt, maxima optimates indignatio subiit, ob spretam à Gabinio religionem patrumque auctoritatem. Itaque dies illi dictus statim ut in urbem regressus est; sed Pompeii gratià et Alexandrino auro adeò apud iudices valuit ut absolutus fuerit (4). Accusatus quoque est Rabirius eques, qui, quum Ptolemæo pecuniam credidisset, regisque ærarium administravisset, brevi, amissis bonis, coactus erat Ægypto cedere. Arguebatur quòd Gabinium hortatus esset ut Auletis causam tueretur, quòdque diècetes factus pallium sumpsisset, Ægyptiosque pondere tributorum oppressisset (5). Verum ille quoque sententiis iudicum liberatus evasit.

(1) Cic., *Ad fam.*, I, 2. Cf. Vaillant, 141.

(2) Dio, 39, 55.

(3) Dio, 39, 56-60; Schol. Bob (Orelli), p. 271. Cæsar, *De b. c.*, III, 4; Cic., *Ad Att.*, IV, 10.

(4) Cic., *Ad Q. fr.*, III, 1-4.

(5) *Pro Rab. Posth.*, passim.

Auletes moriens testamentum reliquit quo heredes instituebat è duobus filiis majorem, et è duabus filiis quæ supererant eam quæ ætate antecedeat. Hæc uti fierent, per omnes deos perque fœdera quæ Romæ fecisset, populum Romanum obtestabatur. Cujus testamenti alteræ tabulæ Alexandriæ servatæ sunt, alteræ eodem exemplo Romam allatæ et apud Pompeium depositæ. Patri igitur successère (a. 51) Ptolemæus Dionysus ac soror Cleopatra (1).

(1) Cæsar, *De b. c.*, III, 108; Cic., *Ad fam.*, VIII, 4. Porphy. (*Fragm. hist. græc.*, III, 723).

CAPUT VII.

QUALEM C. JULIUS CÆSAR ERGA ÆGYPTUM SE GESSERIT.

Cleopatrarum regnum (51-30) eodem tempore duravit quo reipublicæ romanæ bella civilia. Inter hæc discrimina, in quibus Cæsar Pompeiusque, ac postea Octavianus Antoniusque, collectis terrarum orbis universi viribus, de imperio certavere, illud præcipue Ægyptiis curandum erat ut in neutram partem inclinarent. Res autem ita neque se habuit neque se habere potuit. Ægyptus enim adeo erat valida ut cupiditatem accenderet auxilia querentium, minus tamen quam ut postulata repudiaret auxilia flagitantium. Coacta est igitur, in utroque bello, è duobus qui inter se pugnabant alterutrum sequi, alteriusque se sociam profiteri, alterius hostem. Necesse verò fuit ut iis potius faverent Cleopatra fraterque qui in Oriente dominarentur; unde factum est ut Pompeio, non Cæsari, et Antonio, non Octaviano opem tulerint. Devictis illis quorum se fortunæ addixerant, regum suorum vel erroris vel infelicitatis Ægyptus pœnas dedit, et in provinciam tandem redacta est.

Initio belli civilis Cæsariani, Pompeius filium Alexandriam misit ad copias comparandas. Qui, quoniam eâ tempestate potentior videbatur, facile quæ deposcebat

impetravit. Huic enim Cleopatra frumentum suppeditavit, quingentosque milites Gabinianos ac naves sexaginta; sed illæ, velut cetera classis Pompeiana, propè Corcyram otiosæ stetere, nullique prælio interfuere (1). Post cladem Pharsalicam, Pompeius, præclusis ad Parthos itineribus (2), in Ægyptum confugit, sperans se ab Auletis prole libenter exceptum iri, et in istâ regione novas opes reperturum. Ubi in conspectu Pelusii advenit, regnum mutuis Cleopatrarum ac Ptolemæi contentionibus perturbatum audivit. Orta erat inter eos discordia ob nimiam reginæ arrogantiam, quæ, major natu, omne imperium ad se trahere volebat. Itaque junior frater, vel potius ejus ministri, regno illam expulerant, eoque adduxerant ut, coactis in Syriâ militibus, coronam vi repeteret. Tum verò utriusque castra prope Pelusium posita erant. A Ptolemæo Pompeius per legatos postulavit ut pro hospitio atque amicitia patris Alexandriam ingredi diceret. Sed Pothinus, Achillasque ac Theodotus, quorum in procuratione regnum erat, aliter decrevere. Verebantur enim primum ne Pompeius, Gabinianorum operâ qui in Ægypto remanserant, rerum potiretur, deinde ne Cæsarem inimicum haberent, si hujus hostem in calamitate suâ tegerent. Eorum igitur consilio ac Ptolemæi jussu, per proditionem Pompeius occisus est, priusquam ad littus appelleret (a. 48 m. sept. 28) (3).

Interim Cæsar, conjectans Pompeium in Ægyptum navigasse, eum tantâ celeritate persecutus est ut ineunte mense octobri Alexandriam pervenerit. Ibi de morte

(1) Cæsar, *De b. c.*, III, 3, 4, 5, 40. App., *De b. c.*, II, 49, 71.

(2) Mommsen, *H. R.*, VIII, 4.

(3) Cæsar, *De b. c.*, III, 103-104. Plut., *Pomp.*, 77-79.

illius cognovit, indignatus quidem patratum ab Achillâ scelus (1), re autem ipsâ lætus quòd molesto etiam nunc hoste expediretur. Primùm imperavit sibi solverentur ad alendum exercitum decem millia denariorum quæ pecuniam explerent ob reductionem ab Aulete debitam (2). Postea « controversias regum ad populum romanum et ad se quòd esset consul, pertinere existimans, ostendit sibi placere regem Ptolemæum atque ejus sororem Cleopatram exercitus dimittere, et de controversiis jure apud se potius quàm inter se armis disceptare (3). » Itaque Cleopatram arcessivit, quæ adhuc in castris erat; Ptolemæum verò in promptu habebat. Eos jussit regnum, ut antea, simul tenere; alteri autem Auletis filio, qui Ptolemæus quoque appellabatur, et alteri filiæ Arsinoë Cyprum reddidit (4).

Parùm placuit Pothino et Achillæ Cæsaris sententia Cleopatram revocantis in consortium imperii, quod ipsi, Ptolemæi nomine, soli gerere cupiebant, et quia ille cum peditibus 3,200, equitibusque 800, et navibus paucis in Ægyptum advectus erat (5), speravère victoriam facilè suam futuram esse, si modò illius opprimendi occasione confestim uterentur (6). Longè à proposito meo alienum est totam hanc seditionem enarrare, quomodò mota sit à Ptolemæi ministris, brevique à Cæsare extincta. Quærere potius libet quæ causa belli Alexandrini fuerit, et cur Ægyptii veterem cum Romanis ami-

(1) Cæsar, *ibid.*, 106.

(2) Plut., *Cæsar*, 48. Mommsen, *H. R.*, VIII, 7.

(3) Cæsar, *ibid.*, 107.

(4) Dio, 42, 35.

(5) Cæsar, *ibid.*, 106; Mommsen, *l. l.*

(6) Cæsar, *ibid.*, 111.

citiam tum primùm ruperint. Alexandriam convenerant collecti ex prædonibus latronibusque Syriæ Ciliciæque ac finitimarum regionum, ad hoc multi capitis damnati exsulesque, prætereà fugitivi romani quibus certus erat in hac urbe receptus certaue vitæ conditio, ut dato nomine exercitui adscriberentur : hi omnes, rebellioni semper parati, arma sumpsère, quia, ut fieri solet, opportunum fore tempus putabant ad bona locupletum impunè diripienda. Infensi quoque erant Cæsari ob Pompeii memoriam Gabiniani milites qui Alexandrinæ licentiæ jampridem assueverant, et nomen disciplinamque dedidicerant populi romani, uxoresque etiam duxerant (1). Plerique verò Ægyptiorum nullà magis causâ videntur fuisse concitati quàm maximo quodam ergà Romanos odio. Hæc enim à principibus jacta in vulgus, et in conciliis ac concionibus agitata animos præcipuè incendebant : « invasisse urbem, tanquam bello captam, milites romanos ; latos ante Cæsarem fasces, signum imperii, haud secus ac dominus Ægypti foret ; evocatum apud eum, velut apud judicem, regem ad causam dicendam, gravissimaque imperata tributa (2). » Addebant : « populum romanum paulatim in consuetudinem ejus regni occupandi venire ; paucis annis antea Gabinium cum exercitu fuisse in Ægypto, Pompeium se ex fugâ eòdem recepisse, Cæsarem venisse cum copiis, neque morte Pompeii quidquam profectum, quominus apud se Cæsar commoraretur, quem si non expulissent, futuram ex regno provinciam, idque agendum maturè, namque eum interclusum tempestatibus

(1) Cæsar, *ibid.*, 110.

(2) *Ibid.*, 106 et 108.

propter anni tempus recipere transmarina auxilia non posse (1). Decrevêre igitur majestatem regiam, suamque libertatem contrâ Romanos tueri, quoniam utramque in summo periculo tunc esse existimabant. Opinor quoque, quamvis de hoc nullam apud auctores mentionem reperiam, plurimum momenti habuisse ad res turbandas negotiatorum Græcorum invidiam qui valdè metuebant ne Romani, si Ægypto potirentur, ditissimæ regionis omne commercium ad se traherent. Hæc belli semina fuêre.

Devictis hostibus (2), Cæsari de Ægypto statuendum fuit. Quoniam major Ptolemæus in præliando occiderat, minori fratri tradidit regnum, majorique ex duabus Auletis filiis, Cleopatrá, quæ manserat in fide populi romani; Arsinoëm secum abduxit, ne qua rursus nova dissensio, priusquam diuturnitate confirmarentur regibus imperia, per homines seditiosos nasceretur (3). Ait Eusebius Cæsarem Cleopatrá regnum condonasse « ob stupri gratiam. » Eum verò multò graviores causæ impulerunt ut regionem illam dominationi romanæ subigere recusaret. Primùm timuit ne Ægyptii, quorum expertus erat in defendendâ libertate constantiam, ad arma iterùm concurrerent; quæ res eò magis ipsi molesta fore videbatur quòd ad plurima alia bella vocabatur à Pompeianis. Deinde, quia necesse erat Ægypti administrationem, si provinciæ formam acciperet, magistratui mandare qui maximas vires in manibus haberet, periculum erat ne iste adversus Cæsarem potesta-

(1) *De b. Alexandr.*, 3.

(2) Alexandriam Cæsar recepit mart. 27 a. 47 (*C. I. L.*, I, 390).

(3) *De b. Alex.*, 33. Dio, 42, 44. Re tamen verâ, ob Ptolemæi pueritiam, tota potestas penes Cleopatram erat.

tem suam verteret, præsertim in tantâ reipublicæ perturbatione et nondum sedatis civilibus discordiis. Quapropter Cæsar, senatûs consilium imitatus, regnum Ægypti liberum esse sivit, Ptolemæum autem juniorem simul cum sorore Cleopatrá regnare jussit, quia ostendere Alexandrinis volebat se Auletis testamento diligentissimè parere, nihilque de his rebus per se decernere. Ceterum legiones tres in Ægypto reliquit, « quò firminus esset eorum regum imperium qui neque amorem suorum habere poterant quòd fideliter permanerant in Cæsaris amicitia, neque vetustatis auctoritatem, paucis diebus reges constituti; simul ad imperii dignitatem utilitatemque publicam pertinere existimabat, si permanerent in fide reges, præsidiis eos Romanis esse tutos, si essent ingrati, posse iisdem præsidiis coerceri (1). » Quibus copiis Ruffini, liberti sui filium præfecit, quem profectò, ob generis humilitatem, res novas cogitare non decebat (2).

Ægypto digressus est mense Julio a. 47 (3). Paulò post Cleopatra puerum peperit quem Cæsarionem nominavit, ut apertè significaretur eum filium esse Cæsaris (4). Quin etiam ab illo accita Romam ivit a. 46 cum Ptolemæo fratre eodemque conjuge. Domicilium in ipsis dictatoris ædibus collocavit, ludis interfuit qui ob Cæsaris victorias quadruplicemque triumphum celebrati sunt, tantisque cumulata est honoribus ut in templo Veneris genitricis, nuper dedicato, ad latus deæ effigiem suam

(1) *De b. Alex.*, I. I.

(2) *Suet.*, 76. Cf. *Mommsen, H. R.*, VIII, 14.

(3) Testatur Appianus eum in Ægypto novem menses consumpsisse (*De b. c.*, II, 90).

(4) *Plut., Cæsar*, 49.

positam habuerit; denique socia atque amica appellata est populi romani (1) : dixeris illis diebus eam quasi Romæ reginam fuisse. Quæ omnia sine dubio optimatum invidiam movère adversus Cæsarem, inimicorumque ejus numerum ampliavère.

(1) App., *De b. c.*, II, 102; Suet., *Cæsar*, 52; Dio, 43, 27; *C. I. L.*, I, 397.

CAPUT VIII.

CUR ÆGYPTUS IN PROVINCIAM REDACTA SIT.

Post mortem Cæsaris (a. 44 m. mart. 15), Cleopatra quæ circà id tempus, necato fratre, sola regnare cœpit (1), Bruto Cassioque infesta fuit, non modò quia dictatoris interfectores oderat, sed etiam quia eorum partes arbitrabatur inferiores fore.

Quum Dolabella, in sequentem annum consul designatus, post idus Martias magistratum inchoasset, profectusque esset in Syriam provinciam, prius Cassio à Cæsare destinatam, legatum Alexandriam ire iussit ad repetendas legiones quæ in Ægypto relictæ fuerant (2). Quas Cleopatra libenter tradidit; sic enim Cæsarianos adjuvabat, regnumque suum Romanorum copiis liberabat. Cassius verò, ubi à Dolabellâ lacessitus est, auxilia postulavit à Cleopatrá, quæ opem ferre recusavit, causata Ægyptios fame simul ac peste laborare; naves etiam paratas habuit, cum quibus ad Dolabellam pergere volebat nisi adversæ tempestates obstitissent. Fuère tamen apud Cassium Ægyptiæ naves quas Sera-

(1) Porphy. (*Fr. hist. græc.*, III, 724). Cf. Champ.-Figeac, II, 338.

(2) App., *De b. c.*, III, 78; IV, 69.

pio, qui tum Cyp̄o præerat, inconsultâ reginâ miserat (1). Victo occisoque Dolabellâ, non ad victorem illa se convertit, sed ad triumviros, à quibus societatem audiverat fuisse factam. Cassius, quum cognovisset Cleopatram in eo esse ut cum classe navigaret ad Cæsarem atque Antonium, Ægyptum petit, sperans se itâ profectionem istam impediturum, simul cupiens regionem occupare Romano milite vacuam (2). Revocatus autem est à Bruto, coactusque consilium hoc deponere. Haud inane fuit Cleopat̄æ Dolabellæ potius quàm Cassio favissi; nam triumviri concessere ut filius ejus, è Cæsare natus, rex Ægypti appellaretur (3).

Eos Philippensis victoria reipublicæ terrarumque orbis dominos fecit, statimque Octavianus in Italiam, Antonius in Asiam transiit. Quum hic Tarsum pervenisset, Cleopatram ad se accivit. Aiunt plerique eum reginæ objecisse quòd in Cassianam causam propensior fuisset quàm triumviralem (4). Crimen illud quàm falsum esset, non modò res ipsa demonstrabat, verùm etiam triumvirorum recentissima de Cæsarione sententia. Crediderim igitur Antonium aut nihil tale dixisse, aut, si dixerit, eâ tantum ratione impulsus esse ut sub honestâ specie propositum suum tegeret, idque unum optasse ut eximiam formâ et ingenio feminam viseret. Narrant historici quibus artificiis Cleopatra Antonium pellexerit eoque adduxerit ut a. 41-40 Alexandriæ hibernaret. Verùm his rebus non est hic locus; satis erit animadvertere exinde ducem romanum vehementissimo

(1) App., *De b. c.*, IV, 61.

(2) Ibid., 63.

(3) Dio, 47, 31.

(4) App. *De b. c.*, V, 8; Plut., *Ant.*, 25 et sq.

amore fuisse captum, qui quidem interdum sopiri visus est, nunquam autem exstingui potuit, neque Fulviæ irâ, neque Octaviæ pietate, neque belli civilis metu.

Mutua Cleopatrarum atque Antonii libido non utrique solum, sed ipsi quoque Ægypto perniciem attulit. Cleopatra enim, ubi sensit sibi Antonii viribus, moxque dimidia ferè parte legionum romanarum licere inniti, immoderata consilia moliri cœpit. Imperium non tam servare voluit quam augere. Quem autem modum posuerit incrementis suis scire difficile est. Opinor eam in principio nihil certi de hoc secum cogitasse, temporibusque paruisse quæ eò magis propagandi regni cupiditatem stimulavere quò melius res processere. Quidquid id est, constat Cleopatram, adjuvante Antonio qui illi totus inserviebat, laborasse ut orientales Interni maris regiones juris sui faceret, dominationemque constitueret qualem nullus unquam Ptolemæus habuisset. Neque mirum est Romanos tantâ ambitione offensos esse. Dum Ægyptus, finibus suis circumscripta, pacisque artibus dedita, utile simul et honestum esse sibi judicaret in eorum clientelâ manere, plurima eos dehortabantur ut patrocinium illud in imperium mutarent. Ubi autem Cleopatra majestati romanæ obnoxia esse desiit, æmulaque esse tentavit, necesse fuit, imminente periculo, populum aggredi quem sua ad hunc diem continentia defenderat, eaque libertate fraudare quâ abuti incipiebat; unde intelligetur invitis Romanis Ægyptum subactam esse, suique ipsam exitus causam fuisse. Quæ res quomodo evenierit, nunc oportet breviter expediam.

In his colloquiis quæ a. 40 Brundusii, a. 39 Miseni habita sunt, decretum est ut Antonius omnes eas regiones teneret quæ ab Adriatico mari usque ad Euphra-

tem jacebant; commissa quoque est cura contra Parthos pugnandi qui Syriam totamque fermè Asiam minorem occupaverant (1). Quod quidem bellum, quamdiù per legatos Antonii gestum est, felix faustumque fuit exercitui romano, nam Sosius hostes Syriâ expulit, Ventidiusque bis acie victos et Pacoro duce occiso destitutos in regnum suum submovit. Antonius verò, quum Parthiam Mediamque aggressus esset, in Syriam se recipere coactus est. Præcipua cladis fuit Artavasdis, Armeniæ regis, proditio qui in ipsâ expeditione repentè à Romanis defecit. Cujus perfidiam Antonius vindicare veluit. Armeniam enim invasit, vocatumque in castra sub specie cum eo congregiendi per fraudem comprehendit, catenisque argenteis vinxit. Inde, quum regnum universum partim vi, partim deditione in potestatem suam redegisset, in Ægyptum rediit (2).

Non apparet è veterum testimoniis utrum necne Cleopatra Antonium ad ista bella excitaverit; pecuniâ tantum eum juvit ab expeditione Parthicâ regressum (3). Ostendit tamen ille se non pro republicâ, sed pro Cleopatrá pugnasse ac deinceps pugnare velle. Huic enim a. 34 Ægypti et Cypri possessionem confirmavit, sociumque addidit Ptolemæum, filium Cæsaris nothum, quem Cæsariem appellavit; pueris verò quos ipse ex eâ genuerat, uni, Ptolemæo Syriam, Phœniciam, Ciliciam, omnesque regiones citrà Euphratem usque ad Hellespontum sitas dedit, alteri, Cleopatrá Cyrenaicam Cretamque, tertio, Alexandro Armeniam, totamque Asiam

(1) App., *De b. c.*, V, 65; Dio, 48, 24-26.

(2) Vaillant, 170-174.

(3) Dio, 49, 31.

ab Euphrate usque ad Indos (1). Per has largitiones principes Lagidæ imperium obtinere ferè par Alexandri dominationi. Maximum ea res per se detrimentum Romanis afferebat, quorum profectò intererat nullum in orbe terrarum regnum consistere quod nimiam potentiam affectaret. Hoc autem imperium alias, velut Syriam, provincias comprehendebat quæ nuper Romanorum fuerant, alias, velut Armeniam, quas exercitus romanus subegerat, alias, velut Parthiam, quæ adhuc indomitæ erant, sed quas partim romanis legionibus, ut videtur, domare Antonius parabat. Ergò Romanorum opibus Cleopatra utebatur ad promovendam magnitudinem Romanis infestam, idque Antonius patiebatur, externæ reginæ gratuitus magis quàm stipendiarius miles factus.

Tulit etiam ille ut in nummis effigies sua cum Cleopatraræ effigie imprimeretur, quasi rex Ægypti foret; sed nullum aliud nomen usurpavit quàm triumviri, aut consulis, aut imperatoris (2). Si Servio credas, repudiata Octaviâ, Cleopatram duxit uxorem; Virgilius quoque eam Antonii « Ægyptiam conjugem » appellat (3). Equidem quàm falsa sit ea res demonstrari puto Dionis ac Plutarchi silentio qui profectò de illâ non tacuissent si forte evenisset. Adde quòd ejusmodi matrimonium lex romana respuebat. Non enim videtur connubium his temporibus fuisse Romanis cum Ægyptiis (4). Certè scio Cæsarem, de Gabinianis militibus loquentem, dicere

(1) Dio, 49, 32, 40, 41. Plut., *Ant.*, 36 et 54.

(2) Vaillant, 189-198; Feuardent, *Monnaies des rois grecs d'Egypte*, tab. VIII, 447.

(3) Serv., *In Æn.*, VII, 684; VIII, 678; Virg., *Æn.*, VIII, 687.

(4) Vide infra, p. 62.

illos Alexandriae « uxores duxisse (1). » Nihil autem obstat quominus hæ uxores concubinæ tantum fuerint; nam imperatorum diplomata satis ostendunt eo nomine solitas esse designari militum concubinas (2). Fieri igitur potuit ut Antonius Cleopatram virum apertè se profiteretur; legitimum tamen inter eos matrimonium nunquam intervenit.

Quidam perhibent Cleopatram non id solum curasse ut in Oriente dominaretur, sed etiam ut Romam potiretur et in Urbe regnaret, aut sedem romani imperii Alexandriam transferret. Hanc opinionem multi circa Octavianum pro verâ vel habebant vel habere simulabant (3), resque in publicum vulgabatur, donec in poemata Virgilii, Horatii ac Lucani transiret (4); sic enim magis in dies accendebantur animi contra Antonium quem non puderet patriæ hostem omni operâ adjuvare. Oportet quærere num quid verbum aut factum tali suspitioni fidem meritò addiderit. Ait Dio Cassius Cleopatram aliquandò dixisse se Romæ olim dominam fore et in Capitolio jus daturam (5); at hæc verba, ab impotenti ac superbâ feminâ temerè jactata, nullum forsitan certum propositum significabant. Constat quoque eam reginam regum vocari voluisse, eumque titulum in quibusdam nummis inscriptum invenimus. Ne verò existimes illam eò arrogantiae venisse ut se suprâ universos reges ac populos, ne excepto quidem populo romano, collocaret; ostendit Vaillant ambitiosos illos titulos à Partho-

(1) Cæsar, *De b. c.*, III, 110.

(2) Renier, *Recueil de diplômes militaires*, passim.

(3) Dio, 50, 4.

(4) Virg., I. I.; Hor., *Carm.* I, 37; Luc., X, 62.

(5) Dio, 50, 5.

rum atque Armeniorum regibus vindicatos esse, ut demonstrant superstites eorum nummi, eodemque nomine Cleopatra appellata est, quia in horum locum armis successisse videbatur (1).

Nonnulli etiam tanquàm argumentum ponunt quæ de Cæsarione acta sunt. Antonius enim omnibus modis conatus est fidem huic rumori facere, puerum istum filium esse Cæsaris (2). Quorsum autem, aiunt, illud spectabat? eò nempe ut Cæsario sua jura contrà Octavianum proferret, et legitimi patris sui hereditatem ab adoptivo ejus filio repeteret. De eâ re quid sit attentius considerandum est.

Connubium inter Romanos ac peregrinos esse non poterat, nisi « concessum fuisset, » ait Ulpianus (3); concessum autem jus Romanis non fuisse Ægyptias in matrimonium recipiendi Suetonius præcipuè testatur, qui in vitâ Divi Julii narrat Cæsarem, quum in animo haberet Cleopatram sibi justis nuptiis jungere, legem paravisse, « uti uxores liberorum quærendorum causâ quas et quot vellet ducere liceret (4). » Ergò Cæsario; quamvis à Cæsare procreatus fuisset, Ægyptius tamen erat; nam, « connubio non interveniente, matris conditioni liberi accedebant (5). » — Restat ut exploremus nùm iste in legitimorum numerum vocatus

(1) Vaillant, 194, 195; Feuardent, VIII, 446. Vocata est quoque *dea nova* et *Isis nova* (Plut. *Ant.*, 54; Vaillant, 189; Feuardent, VIII, 445), non ut ostenderet se omnibus hominibus superiorem esse, sed quia mos erat apud Ægyptios reges deorum filios aut etiam deos appellari (Letronne, *Recueil*, etc., I, 2, 8, 91, 241).

(2) Dio, 49, 41; 50, 1 et 3. Suet., 52.

(3) Ulp., V, 3.

(4) *Div.*, *Jul.*, 52.

(5) Ulp., V, 8.

à Cæsare fuerit. Ante Constantinum imperatorem, nulla alia via erat legitimus, eosque vel impuberes, efficiendi, nisi adoptio aut adrogatio (1). Sed, amotâ quæstione de eo quòd Cæsario, utpote peregrinus, à cive romano adoptari vel adrogari non poterat, constat opus fuisse, ut adrogaretur, lege curiatâ, ut adoptaretur, prætoris imperio (2); quorum autem neutrum factum esse Dionis, et Appiani, et Suetonii, et Plutarchi de eâ re silentium confirmat. Alterâ verò ex parte Cæsar, cui per testamentum Cæsarionem adoptare licuisset, Octavianum tantum adoptavit (3); unde apparet puerum neque à vivente neque à mortuo Cæsare legitimi filii statum accepisse. Illud quoque ostendit eum semper Ægyptium remansisse, quòd ab Antonio rex Ægypti appellatus fuerit, atque ab eodem inter Ægyptios ephebos post Actiacam pugnam adscriptus (4).

Quid ergò referebant, quod ad legem romanam attinet, Antonii testimonia affirmantis Cæsarionem è Cæsare genitum esse, quoniam neque adoptione, neque adrogatione, neque testamento in patriam Cæsaris potestatem venerat? Sciebat profectò Antonius, eoque docente, Cleopatra, ne minima quidem jura à puero ità acquiri vel ad privata dictatoris bona obtinenda; stultum ideò fuisset illo tanquam æmulo uti ad detrudendum paterno imperio Octavianum. Quapropter pro-

(1) Cod. Just., V, 27. Demangeat, *Cours élémentaire de droit romain* (2^e édit. Paris, 1866), I, 275, 280, 290.

(2) Gaius, I, 99, 100, 101; Ulp., VIII, 2; Aulus-Gell., V, 19; Tac., *Hist.*, I, 15.

(3) Suet., 83.

(4) Plut., *Ant.*, 54, 71; Dio, 51, 6.

babile est non ea ab utroque suscepta esse de Romanis consilia quæ nonnulli putant. Antonius, si apud Actium vicisset, Cleopatram sine dubio Romam adduxisset, ibique mulierem ad reipublicæ administrationem accedere permisisset; hucusque tendebat eorum ambitio, at non ultrà progrediebatur.

A. 32, per litteras Antonius à senatu postulavit ut ea rata essent quæ in Oriente fecisset (1); consulatum tunc gerebant Sosius Domitiusque, qui partes illius sequebantur. Octavianus autem impetravit ut decerneretur bellum. Antonio quidem consulatus ademptus, cui in sequentem annum destinatus erat, imperiumque abrogatum, ut militibus romanis ducem relinquere liceret cui nullo jam sacramento obligarentur; bellum verò Cleopatრæ soli denuntiatum ut ostenderent non hæc civilia arma esse, sed externa, ideòque gravius videretur Antonii scelus qui commissas à populo romano legiones contrà populum romanum et pro barbarà reginà pugnare cogeret (2). Haud infitandum est Octavianum suâ ergà Antonium invidiâ præcipuè impulsus esse ad signa conferenda; tamen illud quoque compertum est non nihil momenti ad dimicandum attulisse Cleopatრæ potentiam ac cupiditatem, numerumque Octavianorum magnoperè auctum fuisse iis quæ de Alexandrinâ Antonii vitâ narrabantur. Omnes indignum nomine romano ducebant civem, imò imperatorem romanum Asiatico more vivere, crapulæ ac libidini deditum, insano correptum amore, et Ægyptiæ feminæ famulantem ejus gratiâ rempublicam prode-

(1) Dio, 49, 41.

(2) Plut., *Ant.*, 60; Dio, 50, 4 et 6.

ret (1). Plerique etiam timebant ne regina, velut aiebat Horatius, « Capitolio dementes ruinas et imperio funus » verè pararet. Quibus autem altior intellectus erat, animusque tali metu vacuus, ii saltem nimiam ab Ægypto nuper partam magnitudinem reformidabant, præsertim si Antonii victoriâ cresceret.

Præliatum est apud Actium a. 31 sep. 2 (2), victusque Antonius. Nihil ad cladem majori adjumento fuit quàm Cleopatra. Primùm jussit, multis contradicentibus, navibus certamen iniri, quia volebat vel victoriæ participem esse classem suam, vel post cladem fugam esse faciliorem. Antonius verò pluribus copiis præerat quàm Octavianus, quibus si vir terrestrium bellorum peritus usus fuisset, forsitan hostem superasset; naves quidem plures quoque habebat quàm adversarius, sed eas graviores, adeoque gubernatoribus ac nautis destitutas ut necesse fuerit centum et quadraginta comburere ad corroboranda ceterarum remigia. Deinde, inter pugnandum, quum, omnibus adhuc dubiis, Cleopatra funestum rerum exitum metueret, repente cum sexaginta navibus sese proripuit; quam Antonius secutus certæ jam calamitati suos vovit (3).

Clades Actiaca Cleopatram non solùm ab immoderatis consiliis suis desistere, sed etiam de salute suâ et aviti regni integritate tuendâ cogitare coëgit. Primùm tentavit, navibus in mare Rubrum actis, Ægypto abscedere et in Orientem fugere; quas verò Arabes, à Syriæ præfecto impulsæ, cremavère (4). Conata est exinde

(1) Cf. Plut., *Ant.*, 58-59; Dio, 50, 5.

(2) *C. I. L.*, I, 401.

(3) Plut., *Ant.*, 61-68; Dio, 50, 15 et sq.

(4) Dio, 51, 7.

Antonio sese expedire et cum Octaviano pacem facere. Quum hic in insulâ Samo hiemaret, Antonius per legatos petiit ut liceret privato Athenis vivere; nihil autem à victore est responsum. Cleopatra oravit ut liberis suis Ægyptus daretur; magnam quoque pecuniæ vim clam pollicita est, ac sceptrum aureum, coronam auream, sellamque regiam misit, quasi regnum condonaret. Octavianus, quoniam timebat ne Cleopatra Antoniusque in Hispaniam aut Galliam cum opibus suis migrarent, ibique bellum civile renovarent, reginæ humaniter respondit omnia illi impunè futura esse, sibi quoque in animo esse incolume regnum relinquere, si armis abstineret Antoniumque occideret. Quamobrem, ubi Cæsar cum exercitu appropinquavit, jussit Cleopatra Pelusium Romanis tradi; providit etiam ut Ægyptiorum proditione Antonius terrâ marique juxtâ Alexandriam vinceretur; denique quum se in monumentum ad vitandam illius iram inclusisset, curavit ut falsus de morte suâ nuntius illum deciperet; quo audito, iste se ipsum interfecit (1). Tum demùm speravit sibi vitam salvam fore regnumque integrum. In eo colloquio quod cum Octaviano habuit, amorem illius vel certè misericordiam movere studuit; sed hic, defixis in terram oculis, adeò sui compos fuit ut omnibus astutæ reginæ illecebris restiterit; tantum dixit: « Bono esto animo, mulier, nihil mali patieris; » jam enim secum decreverat eam regno spoliare. Sensit Cleopatra se Octaviani triumpho destinatum esse, et potius quàm tali dedecore sese fœdari sineret, veneno, ut videtur, vitam finiit (a. 30, m. sext.) (2).

(1) Dio, 51, 6-10; Plut., 69-77.

(2) Dio, 51, 13-14; Plut., 85. Erat xxxviii annos nata (Vaillant, 186).

Exstinctâ Cleopatrà, supererant de Lagidarum stirpe quatuor pueri, quorum unum, Cæsarionem, è Cæsare genuerat, tres verò alios ex Antonio. Hos omnes Octavianus judicavit regno excludendos esse, non quia nothi erant, sed quia metuebat ne quandò patribus romanis gloriarentur ac res novas agitent; curavit etiam ut major natu, Cæsario, necaretur et ceteri in suâ manu essent (1). Deinde Ægyptum in provinciæ formam redegit. Cavendum autem fuit ne unquàm ditissimum hoc prædium populi romani, cujus frumento plebs utebatur, cujus vectigalibus augebatur ærarium, quodque modico præsidio magnorum exercituum sustinere impetum poterat, seu incolarum inconstantia, seu præfecti ambitione ad rebellionem incitaretur. Igitur instituit ut leges, mores, religio, lingua Ægyptiorum in maximo honore ac reverentiâ apud Romanos essent, idque ab omnibus successoribus diligentissimè observatum est (2). Adde quòd circiter 23000 pedites et et 2200 equites parati erant ad comprimendas seditio- nes, si quæ forte orirentur (3). Quod ad provinciæ ad- ministrationem attinet, eam Octavianus neque procon- suli neque prætori mandavit, sed præfecto, qui imperium quidem habebat, non autem signa imperii, velut fascès. Nemo ad hanc dignitatem accedere poterat, nisi eques- tris ordinis esset, idemque imperatori addictissimus (4); attamen, si computaveris nomina eorum qui Ægyptum rexère ab Augusto usque Septimium Severum, reperies

(1) Plut., 81; Dio, 51, 15.

(2) Letronne, *Rec. des inscr. gr. et lat. d'Ég.*, I, 91.

(3) Varges, *De statu Ægypti provinciæ romanæ*, p. 68 (Gottingæ, 1842).

(4) Tacitus, *Ann.*, XII, 60; *Hist.*, I, 11; Dio, 51, 17; *Digesta*, I, 17; Letronne, I, 165.

« annis inter illos pariter divisis, quaternos tantum annos in quemque cecidisse (1). » Denique præcepit Octavianus « ne quis ex senatoribus equitibusque romanis illustribus provinciam ingrederetur vel in eâ commoraretur, nisi cui ipse permitteret, atque etiam ne quis ex Ægypti incolis provincialibus in senatum reciperetur (2). » Rebus ità ordinatis, speravit regionem istam in summâ pace ac tranquillitate deinceps futuram esse, neque aliter quàm speraverat evenit.

(1) Varges, 15.

(2) Tac., *Ann.*, II, 59; Dio, 51, 17; Varges, 25.

— 97 —

CONCLUSIO.

Propositum mihi fuit non omnem Lagidarum historiam enarrare, sed potius quærere quomodò Ptolemæi ergà Romanos sese gesserint, Romanique ergà Ptolemæos. Apparet inde utrosque in hoc semper consilio perseverasse ut firmæ amicitiae vinculis jungerentur. Quæ verò societas, primùm æquis ferè conditionibus instituta, paulatim à Romanis in patrocinium immutata est, brevique accidit ut Ægyptus verbo quidem libera esset, re autem ipsâ alienæ dominationi subiecta; quæ res circà ea tempora evenit quibus Antiochus Alexandriæ pepercit, non tam Lagidarum potentiâ territus quàm Popilii Lænatis minis. Neque Ptolemæi tutelam detrectavère quâ senatus eos fœderis nomine tegebat; imò nihil illis antiquius fuit quàm se Romanis in fidem commendare, seu quia non existimabant gravius in dies jugum istud fore, seu quia necesse erat opibus externis contrà vicinos inniti. Senatus igitur in hanc consuetudinem sensim adductus est, ut Ptolemæos minus tanquàm socios et amicos consideraret, quàm clientes et quasi procuratores, donec Alexandri II testamento in hereditatem vocatus Ægypti acquirendæ facultatem habuerit; memorabile exemplum à quo judicari potest quànàm ratione tot et tam magna regna

in imperium romanum confluerint. — Altera quoque res est quam ex hâc historiâ cognoscere licet, nempe Romanos non itâ ambiciosos fuisse ut ad ea quæ prudentia suadebat animum advertere, consiliaque accommodare omitterent. Diù, præsertim post Alexandri II mortem, eorum arbitrii fuit Ægyptum occupare, multaque profectò illos incitabant ut ditissimâ prædâ potirentur. Sed quia regio ista, in provinciam redacta, videbatur quædam reipublicæ pericula paritura, eam liberam esse voluit senatus, atque ipse Cæsar dictator, qui tamen olim ædilis contenderat ut tributaria fieret; neque alium, opinor, Octavianus sese præbuisset, ni Cleopatra ostendisset posse aliquandò Ægyptum, fortunâ juvante, magnitudini romanæ officere. Eam ergo cepit, coactus potius quàm libens, magisque ad tuendum imperium quàm ad augendum; adeò verum est plerosque populos, vel inter cupidissimos, ob eam præcipuè causam fines suos propagare, quia conservare conantur quæ jam possident!

FINIS.

VIDI AC PERLEGI

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. IV, Non. Jan.
ann. MDCCCLXXIX.

Facultatis litterarum in Academia Parisiensi Decanus,

H. WALLON.

TYPIS MANDATUR.

Academiæ Parisiensis Rector,

A. MOURIER.

APPENDIX

LAGIDARUM REGUM LATERCULUS.

PTOLEMÆUS, Lagi filius, satrapiam Ægypti obtinuit anno a. Chr.	323
Regnum verò a.	307
Appellatusque est <i>Soter</i> .	
PTOLEMÆUS II <i>Philadelphus</i> , Soteris filius, regnavit ab a.	284
Usque ad a.	246
PTOLEMÆUS III <i>Evergetes</i> , Philadelphi filius, regnavit ab a.	246
Usque ad a.	222
PTOLEMÆUS IV <i>Philopator</i> , Evergetis filius, regnavit ab a.	222
Usque ad a.	204
PTOLEMÆUS V <i>Epiphanes</i> , Philopatoris filius, regnavit ab a.	204
Usque ad a.	181
PTOLEMÆUS VI <i>Philometor</i> , Epiphanis filius, regnavit ab a.	181
Quum captus esset ab Antiocho, in ejus locum Alexandrini regem fecêre fratrem minorem,	

PTOLEMÆUM VII <i>Evergetem II</i> anno.	170
Regnavère duo fratres circiter usque ad a. . .	159
Ortâ verò inter eos dissensione, solus regnum	
habuit <i>Philometor</i> usque ad a.	146
PTOLEMÆUS VIII <i>Eupator</i> , <i>Philometoris</i> filius, re-	
gnavit a.	146
Iterum PTOLEMÆUS VII <i>Evergetes</i> , cognomine	
<i>Physco</i> , regnavit ab a.	146
Usque ad a.	117
PTOLEMÆUS IX <i>Soter II Lathyrus</i> , <i>Physconis</i> filius,	
regnavit ab a.	117
Expulsusque est a.	107
PTOLEMÆUS X <i>Alexander I</i> , <i>Lathÿri</i> frater minor,	
regnavit ab a.	107
Sed, illo in exsilium acto,	
Iterum PTOLEMÆUS IX <i>Soter II Lathyrus</i> regnavit	
ab a.	89
Usque ad a.	81
PTOLEMÆUS XI <i>Alexander II</i> , <i>Alexandri I</i> filius,	
regnavit a.	81
Interfectoque eo post dies XIX, regnum ha-	
buit	
PTOLEMÆUS XII <i>Auletes</i> ab a.	81
Qui expulsus est a.	57
Restitutusque a.	55
Post hunc simul regnavère filius PTOLEMÆUS XIII	
<i>Dionysus</i> et filia CLEOPATRA a.	51
Rex verò in Alexandrino bello periit a.	47
datusque Cleopatrarè tanquam socius alter frater	
PTOLEMÆUS XIV. Sed illa eum occidit a.	44
solaque inde regnavit usque ad a.	30

INDEX

CAPUT I. — Cur Lagidæ societatem cum Romanis inierint ac servaverint.	1
CAPUT II. — Quomodò Romani Lagidas contrà Macedoniam Syriamque tutati sint.	9
CAPUT III. — Quomodò Romani Lagidarum discordiis sese immiscere cœperint.	22
CAPUT IV. — De Apionis testamento.	27
CAPUT V. — De Alexandri II testamento.	30
CAPUT VI. — Quomodò populares Auletem regno spoliare conati sint.	41
CAPUT VII. — Qualem Cæsar ergà Ægyptum se gesserit.	49
CAPUT VIII. — Cur Ægyptus in provinciam redacta sit.	56
Conclusio.	69
Appendix.	71
Index.	73
Errata.	75

INDEX

ERRATA

- P. 5, l. 9, loco *Sycionem*, lege *Sicyonem*.
P. 10, l. 32, dele «...».
P. 12, l. 27, loco *cum*, lege *eum*.
P. 13, l. 9, loco *adfuturus*, lege *adjuturus*.
P. 15, l. 21, loco *terribus*, lege *turribus*.
P. 18, l. 31-32, dele «...».
P. 21, l. 16, loco *adfuturum*, lege *adjuturum*.
— l. 25, loco *cummodi*, lege *commodi*.
P. 28, l. 5, loco *difficilius*, lege *difficilius*.
— l. 19, loco *accepit*, lege *accessit*.
P. 29, l. 2, loco *quia*, lege *qui a*.
— l. 18, adde *anno*.
P. 32, l. 22, loco *cæden*, lege *cædem*.



